poſterum quoque ſperare eſſe exaudiendum: quemad- A modum priùs dixerat, *laboravi, & lavabo, ac rigabo*, ad indicandam perſeverantiam, ut notant Titelmanus, & Auctor Catenæ. Nihilominus Chaldaicè habetur præteritum קבל *Kabbel*; et poſteriora verba æmulari ſolent tempus ac modum præcedentium: et, ut aliquoties monui, ad libitum Interpretum, verborum tempora variantur.

Orationem ſuſceptam, vel ut Innocentius legit, *aſſumptam* dicit, hoc eſt, acceptam, et gratam, quum ſcilicet antea dixiſſet, *Miſerere mei*. Nec tamen *orationis* vox de poſtulatione tantùm rerum bonarum ſumenda eſt, ut neque *deprecatio* de remotione malorum. Non etiam *ſuſceptio* indicat neceſſariò miniſterium Angelicum, alioqui ſatis crebrum in offerendis hominum orationibus *a*. Trinam repetitionem, lætantis animi indicem eſſe dixi, et nonnullam ad priora habitudinem includere. Gregorius per primam, ait indicare Davidem mundationem ab omni inquinamento carnis: et ſpiritus: per ſecundam, peccatorum remiſſionem: per tertiam, perſeverantiam in bono. Trinitatis quoque in his myſte- B rium Caſſiodorus, Haymo, Thomas, Ludolphus obſervant; ſicut, inquit Thomas, innuitur in alio Pſalmo *b*: *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus*. In ſeculari carmine Horatius *c*, quiddam videtur habere ſimile, pertinens ad certam exauditæ orationis fiduciam. Sic enim in fine canit:

Hæc Jovem ſentire, Deoſque cunctos
Spem bonam, certamque domum reporto.
Doctus, & Phœbi chorus, & Dianæ
Dicere laudes.

Tale et illud Ovidii *d*,

Quod precor, eveniet; ſunt certa oracula Vatum,
Nam Deus optanti proſpera ſigna dedit.

Notavit hæc ante me Genebrardus.

Angelorum miniſteriũ in offerendis hominum orationibus.
a Tob.12.12 Apoc.5.8. Dan.9.23.
b Pſ.66.8
c l.Epodon. Ode ult.
d 2.de Ponto Eleg.1

Verſ.11.] Erubeſcant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubeſcant valde velociter.

METAM liberaliter exaudito, tantis affecto beneficiis, adeo magnificè vindicato, inſigni notabuntur ignominia inimici, terga vertent, ingenti pavore percellentur; ſuffundentur magno rubore, fruſtratos ſe ſpe, votiſque deprehendentes, de interitu meo, mutabunt, velint nolint, opinionem, atque vehementer, et quidem brevi pudefient. Sic nimirum quæ futuri temporis verbis exprimuntur Hebraicis & Chaldaicis, exponuntur Græcè ac Latinè per imperandi modos, quod aliàs perſæpe fit. Unde quoque colligitur non tam imprecationes, quàm vaticinationes eſſe, quæ ſpeciem præ ſe ferunt imprecationum. Sicut et in Pſalmo 34.62.108.

Quamquam ab hac expoſitione, quæ litteralior videtur, eſtque Euthymii, Auguſtini, Remigii, Innocentii, Thomæ, Cajetani etiam, et ceterorum recentium: alia Græcorum, de qua meminit idem Euthymius, et placuit etiam Hieronymo, Auguſtino, Gregorio, Caſſiodoro, Remigio, Haymoni, Innocentio, Thomæ, Brunoni, Dionyſio, Ludolpho, et aliis, eſt, ut contineatur hic oratio pro D inimicorum converſione, ut injecta veluti manu, aut freno, revocentur, reſiliant, reprimantur, ne ultra procedant peccando.

Euthymii & aliorum expoſitio. Alia Græcorum.

Lyranus has imprecationes refert ad Dæmonas. Valentia ſequitur eamdem interpretationem, præterea de Judæis, Tyrannis, et aliis inimicis Eccleſiæ. Origenes favet, et ſanè verum eſt, tantos hoſtes magno dedecore affici, quum ſuperantur etiam à pueris, et puellis. Nyſſenus eoſdem accipit inimicos, quos nono verſu faceſſere juſſerat, quaſcumque ſive res, ſive perſonas, ut eas veluti pudeat deinceps peccandi tentationes, occaſioneſve ſimiles ſuggerere. Nominatim exprimit inimicos ſenſus atque cogitationes, quas religioſius pudor tamquam multo dirimat, et diſcludat.

Lyrani & aliorum.
Nyſſeni.

Erubeſcant.] Hieronymus, *Confundantur*. Si tropologicè velim agere, multa mihi ſe offerant de noxia, et ſalubri erubeſcentia, quæ attinguntur ab Innocentio, Thoma, et Pepino. Quòd bis hic repetitur, indicatur magna neceſſitas erubeſcentiæ bonæ, tum externæ, tum internæ. In primis parentibus, ab hac, quum ſe nudos viderunt, pœnitentia videtur ſumſiſſe principium. Contra pravam in confitendo erubeſcentiam copioſè diſputant Gulielmus *e*, Pariſienſis, Robertus *f* Sorbona, Hugo S. Victoris *g*, Bernardus *h*, & nos plura in Remediis luxuriæ, quum explicaremus hiſtoriam Samaritanæ. Similis eſt alia ſententia: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine i. Eſt confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gratiam, & gloriam k.* Væ habenti meretricis *l* frontem, nec volenti erubeſcere.

Ab erubeſcentia prima parentum pœnitentia videtur ſumſiſſe initiũ.
e Tract. de Pœnit.c.13 14
f l.de Itinere Paradiſi.
g Par.2.eru. theol.miſcella.c.100 2.de Sacra. Par.14.c.1
h Ad Milites templi ſerm. de S. Andrea. De Interio. domo c.37
i Pſ.82.17
K Eccl.4.25
l Ier.3.3.

Conturbentur.] Sua dixerat oſſa conturbata, animam turbatam, turbatum oculum: meritò prædicitur illorum conturbatio, qui dictæ conturbationis auctores fuerant. Secundùm tropologiam requiritur ad pœnitentiam cum erubeſcentia conturbatio, atque ſevera contra ſeipſum indignatio; ut Gregorius docet *m*, reputantem ſecum quem tunc fructum in iis habuerit, in quibus nunc erubeſcit *n*.

m Hoc loco
n Rom.c.21

Vehementer.] In Bibliis Græcis ac Latinis Complutenſibus, Regiis, & aliis deſideratur hoc adverbium σφόδρα. Hieronymus *o* concedit in textu Græco editionis vulgatæ non fuiſſe, tamen in Hebræo eſſe שעה *meod*, & omnes ſimiliter σφόδρα vertiſſe. Legit Euſebius, & alii Græci.

o epiſt.135

Convertantur.] Legit, *Avertantur retrorſum*, Caſſiodorus, & Innocentius. Hieronymus, *Revertantur*. Ad litteram ſignificatur, ut inimici, quod ait Euthym. retro abeant, nempè à pravis conſiliis, & conatibus, pudeat, ac pœniteat talia vel cogitaviſſe, non audeant in poſterum de talibus deliberare, terga vertant, ac defugiant, ſicut illi, quos Poeta *p*, memorat.

Litteralis ſenſus.

——— pars ingentem formidine turpi
Scandunt rurſus equum, & nota conduntur in alvo.

p 2 Æneid.

Myſticè *converſio* ſignificat veram pœnitentiam, & tranſmutationem de ſtatu peccati in ſtatum juſtitiæ, & gratiæ ſanctificantis; ita ut perverſa voluntas immutetur, ne contrahat jam cum habituali malitia etiam peccati conſuetudinem. Inter ſapienter dicta & facta Valerius Maximus *q*, illud refert de Cretenſibus, quum acerbiſſima execratione adverſus eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, de mala conſuetudine delectentur, C optant; modeſtoque voti genere, efficaciſſime ultionis eventum reperiunt. Inutiliter enim aliquid concupiſcere, & in eo perſeveranter morari, exitio, inquit Valerius, ea dulcedo vicina eſt. Non in hac certè re Cretenſes ἀεὶ ψεῦσται, ſed ψεῦσται *ſemper mendaces r*, verum planè veraces.

Myſticus
q l.7.c.2. in fine.
Apud Cretenſes quæ ſit ſumma execratio.
r Tit.1.12

Erubeſcant.] Elegans paronomaſia Hebræa eſt רגע & ישבו *Ievoſchu* & *iaſchuu*.

Valdè velociter.] Hebraicè hic deeſt, *valde*, unde videri poteſt à Græcis & Latinis poſita eo dictio in iſto pro priore loco. Nec eſt ſenſus: Valdè velociter, ideſt, velociſſimè, ſed, erubeſcant valdè, velociter, ideſt, erubeſcant valdè, & erubeſcant velociter. Hieronymus, *ſubito*; Aquila ἐξαίφνης *repente*. Utroque modo Felix, & in inſtanti. Hoc ſibi vult Hebræum יבשו *regabh*, & Chaldæum מאר *ſchabhah*, nempe Hebræum, *momentum*, punctum, & iſtans, breviſſimum tempus: Chaldæum, quod etiam reperitur apud Danielem *f*, *horam Impii in puncto ad inferna deſcendunt t: Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti, u*, quamvis Gregorius *x* accipiat pro *puncto linea*. Vertit etiam alibi Interpres, *ſubito y*. Subitaneus, veloxque interitus, Abſolonis *z* interitus fuit, indeque, et ex ſuſpenſione Achitophel magna confuſio nata *a*; tum præterea ex cæſis viginti millibus exercitus contrarii *b*, ut notavit Trevet, et Cajetanus.

f c.4.16.5.5
t Job.21.13
u Job.20.5
x l.15.Mor. cap.2
y Job.34.20 Jerem.4.20 c.18.9
z 2.Reg.18
a ib.c.17
b ib.c.18

Moraliter, non tardandum converti ad Deum *c*: ne ſubitò; dum non ſperatur, veniat contritio *d*; et repentinus ſuperveniat interitus *e*. Scholion Græcum legit ἀθρόως, *confertim*, ſimul omnes, univerſè: videlicet nullo dempto cuncti convertantur, et erubeſcant. Talis alio in Pſalmo *f* locus: *Avertantur ſtatim erubeſcentes*: videlicet ut nec temporis puncto audeant prodire, ac in aliorum conſpectum venire, ſed ſeſe abdant, et publicum vitent.

c Eccl.5.11
d Iſa.30.13
e Prov.29.1 2.Theſſ.5.3
f Pſ.69.4

PSAL-

PSALMUS SEPTIMUS.

TITULUS.

1 Pſalmus David quem cantavit Domino pro
verbis Chuſi filii Jemini.
2 DOmine Deus meus in te ſperavi: ſalvum
me fac ex omnibus perſequentibus me,
& libera me.
3 Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum
non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.
4 Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.
5 Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.
6 Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam,
& gloriam meam in pulverem deducat.
7 Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
8 Et exurge Domine Deus meus in præcepto
quod mandaſti: & Synagoga populorum circumdabit te.
9 Et propter hanc in altum regredere: Dominus judicat populos.
Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam,
& ſecundùm innocentiam meam ſuper me.
10 Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges
juſtum, ſcrutans corda & renes Deus.
11 Juſtum adjutorium meum à Domino, qui
ſalvos facit rectos corde.
12 Deus judex juſtus, fortis, & patiens: numquid iraſcitur per ſingulos dies?
13 Niſi converſi fueritis gladium ſuum vibrabit:
arcum ſuum tetendit, & paravit illum.
14 Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas
ardentibus effecit.
15 Ecce parturiit injuſtitiam: concepit dolorem,
& peperit iniquitatem.
16 Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit
in foveam, quam fecit.
17 Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in
verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.
18 Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam ejus:
& pſallam nomini Domini altiſſimi.

Verſ.1.] Pſalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chuſi filii Jemini.

HIERONYMUS reddit, ut quidem eſt in Bibliis Regiis, & Lyranus eſt; *Pro ignoratione*, vel, *ignorantia David, qui cecinit Domino ſuper verba Æthiopis, filii Jemini*. In editione namque Mariani Victorii eſt, ſicut nos habemus. Solùm ponitur, *Chus*, pro *Chuſi*. Miratur Eugubinus, Lyranum, id de Hieronymo affirmaſſe. Titulum enim, *Pro ignorantiis*, eſſe proprium Cantici Habacuc. Titelmanus contendit legendum, *Chus*, non, *Chuſi*. Aquila vertit Ὑπὲρ ἀγνοίας, *Pro ignorantia*. Symmachus, Ἀγνόημα, *ignorantia*. Ut præciſè quid ſibi Titulus velit, dicamus, hærendum in verbis editionis noſtræ, ac ſi fieri poſſit, docendum quo pacto cum illa congruant aliæ.

Titulus pro ignorantiis proprius Cantici Habacuc. Diverſæ lectiones.

Pſalmus David.] Ψαλμὸς τῷ Δαυίδ. *Ipſi David*. Pro Pſalmo Hebraicè eſt שגיון *ſiggaion* cum articulo לדויד *ledavid*, qui poteſt eſſe caſus Genitivus, & Dativus, ut aliàs dixi Chaldaicè תרגמא ראוריתא לדויד *Thirguma deronitha ledavid*. Interpretatio legis vel, ut alii legunt, דורואתא *Deodautha* confeſſionis.

Quum conſtet hunc eſſe Pſalmum, de alia voce Hebræa dubitetur, aut ſcire quid ſit, haud ita neceſſarium, contenti fuerunt LXX. generali nomine Pſalmi. Quemadmodum, & in Titulo Cantici Habacuc eamdem vocem Hebræam ᾠδὴν interpretati ſunt; Hieronymus autem, *pro ignorantiis*. Quo loco quum idem refert vertiſſe Theodotionem Ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν, *Pro voluntariis*, & iis, qui non ſponte delinquunt, fortaſſis malo codice uſus eſt, quum potiùs credendus ſit expoſuiſſe ὑπὲρ τῶν ἀκουσιασμῶν, *Pro involuntariis*, & iis qui non ſpontè delinquunt.

Probabile cenſeo LXX. legiſſe הגיון *Higgaion* quod ſignificat in genere quamlibet *cantilenam*, aut ſimile nomen שגיון *ſiggaion* pro illo alio ſumſiſſe: nam & Pſalmo nono poſt verſum XVII. ubi eſt Heb. הגיון סלה *higgaion ſelah* tranſtulerunt ᾠδὴ διαψάλματος, ut in Bibliis Vaticanis extat, & Aquila μελώδημα. Sed Hieronymus ibi, *meditatio*, ſemper Chaldaicè, *Gaudebunt juſti in æternum*.

Vocis Higgaion ſignificationes.

B Hebræum vocabulum quidam ſignificare volunt muſicum inſtrumentum: nec non interpretationem confeſſionis Chaldaicè expreſſam, quaſi dicas, concentum hilarem, pæaniſmum, jubilationem, lætiſſimam exclamationem *a*. Alii exponunt genus carminis magis oblectans, non faciendo inſtrumenti mentionem *b*. vel tonum, & cantilenæ modulum, ſimilem ei, quæ inchoabat à Sigaion *c*.

Aliæ ſignificationes.
a Hebrai quos Eugubinus ſequitur.
b Genebrard, a Vatab.

Tertia opinio Hebræa voce ignorantiam ſignificante denotari Pſalmum, cujus argumentum contineat cauſſas humanarum rerum, quarum exitus incertus, ignotus, dubius etiam piis, ac proindè qui querimonia & elegia vocari poſſit, de errore culpave, quam imponerent Davidi *d*, ſeu de malis, quæ ignorans, ideſt, innocens pateretur juxta illud *e*: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi*. Meminit Chryſoſtomus unius lectionis: ὑπὲρ ἀγνοίας τοῦ Δαυίδ: *Pſalmus pro ignoratione ipſi David*: & alteriùs ἀγνόημα τοῦ Δαυίδ, *ignoratio ipſi David*: illam Aquilæ, Symmachi hanc eſſe prius retuli.

Tertia opinio.
d Arias, & ex parte Cajetan. Faber & Pintus in c.45. Ezech.
e Pſ.34.15.

Aliqui * præterea legunt: *In finem*, ſed falſum eſt C quod ait Bruno, Hebraicè haberi *Victori*. Trevet, ignorationem David in hoc ait fuiſſe, quòd audita morte Saul Canticum fecerit, quamvis lamentando *f*, & pro hac culpa hic deprecari, quia viſus erat, licet occultè, lætari de alterius ruina, quod fieri non debet *g*. Nonnulli volunt denotari culpæ depulſionem, quòd abſciſſet oram chlamydis Saul; aut angorem & ſollicitudinem quam ſenſerit in conflictu cum Goliat, aut eam, qua ſtudebat Saul ipſum occidere, Euthymius, & Nicephorus indicant reprehendere Davidem ſeipſum, quod veluti amiſſa, vel intermiſſa ſpe in Deum, magis fretus fuerit conſilio Chuſi. Hieronymus, & Burgenſis purgare ſe, quòd ei mortem Saulis imputaſſet Semei *h*. Valentia, Cajetanus, Lyranus de crimine proditionis Idumæi, & quòd ejus occaſione occiſi eſſent octoginta quinque Sacerdotes à Doeg *i*.

* Tyrobeſc. Bruno, Valentia.
Brunonis lectio & aliorum, Treveti expoſitio.
f 2.Reg.1.17 & ſeq.
g Prov.24.17.
Aliorum. Euthymii, & aliorum.
h 2.Reg.16. 7.8.
i 1.Reg.22. 18.

Cantavit Domino.] Chaldaicè, *Coram Domino*, קדם ייי *Kodam* ייי ſed *Koram* non ſignificat neceſſariò, in templo, et ante Arcam, ſed attentiùs proponendo Deum ſibi præſentem.

D *Pro verbis Chuſi.*] Aquila, ut refert Hieronymus, *Pro verbis Æthiopis*, et Scholion refert, Αἰθίοπος. Videntur autem Hebraico more pro rebus verba ſumi, ſeu pro factis, negociis, judiciis. Chaldaicè, *ſuper interitum Saulis filii Cis*: ita ut videatur legiſſe Paraphraſtes non בושן *Chuſe*, ſicut Hebraicè habetur hoc loco, ſed קיש *kis*, quod eſt nomen Patris Saul, qui vocabatur, *Cis*, quaſi nomine patris intelligi debuerit ipſe filius. Eſt opinio hæc de Saul non paucorum, ut Hieronymi, Lyrani, Valentiæ, Treveti, Vatabli, Clarii, Flaminii, Bredembachii, Janſenii, Sà, Varlenii, Titelmani, necnon Bedæ *k*, et Pinti *l*.

Hebraico more pro rebus verba ſumpta, Qui de Saul interpretatur.
k li.1.in Job. c.10.
l in cap. 11. Dan.

Rationem, cur dicatur *Chus*, aut *Chuſi*, ideſt, Æthiops, dant tetros mores et crudeles:

m Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Oſorius, quia Chus filius fuit Cham ingratiſſimi filii Noe, et pater Nemrot ſævi Tyranni: quo utroque laboravit Saul vitio *Æthiopis* quoque vocabulum ſumi pro *peccatore*, alibi oſtendi *n*, et conſtat ex Amos *o*, et ex Jeremia *p*. Arias intelligit per *Chus*, *Cis*, patrem Saulis: magnos enim, et primores, ac potentiores ad laudem aperte nominare; ad notam, diſſimulare, vel affine, ſeu

Ratio cur dicatur Chus aut Chuſi.
m Hora. l. ſer. Saty.4.
Æthiopis vocabulum pro peccatore.
Ariæ expoſitio.
n Act.8.27.
o cap.9.9.
p cap.13.21.

etiam

etiam rem, non perſonam indicante nomine, vocare, A & artis & prudentiæ eſſe. Sic inquit à Davide *Laban* pro *Nabal* nominatum. Addit, patrem Saulis præ ſtudio erga filium, & domeſticæ gloriæ ambitu, graviter inſidiatum Davidi, popularium in eum invidiam, ſparſis falſis rumoribus excitando, & alendo. Agellius adhæret eidem opinioni. Burgenſis exponit, item *Chuſi* dici appellativè de Semei, qui maledixit Davidi; erat enim Æthiops moribus, & re ipſa filius Jemini *a*. Eadem eſt opinio Arnobii.

Ariæ & Agellii eadem ſententia. Burgenſis & Arnobii expoſitio. a 2. Reg. 16. 11.

Græci, & Latini patres ferè omnes, & Eugubinus explicant de Chuſi, qui conſilium Achitophel in fatuavit *b*, ſeu diſſipavit. Refutat id Hieronymus acriùs, dicens vehementer errare, & Hebræi ſermonis ſcientiam non habere qui ita ſentiunt: primùm, quòd nomen illius Chuſi ſcribatur per ס hoc per ש: deinde, quia David non ita loqueretur de filio: *Concepit dolorem*, &c. cui parci præceperat. Poſtremò, quoniam ille Chuſi Arachites erat, ideſt, filius Arachites, hic autem Jemini.

Græcorum & Latinorum Patrum. b 2. Reg. 15. 31. Hieronymi refutatio.

Martinus Cantapetrenſis *c* exiſtimat eidem Patri *Chuſi* duplex nomen fuiſſe Arachi, & Jemini: vel Chuſi poſt ſtrenuum conſilium pro David, accepiſſe cognomen, ut diceretur filius Jemini, hoc eſt, *dextera*. Addi poteſt, Jemini eſſe nomen denotans tribum Beniamin.

Martini Cantapetrenſis ſententia. c 2. Hypotyp. cap. 1.

Ariæ opinio nimis eſt ſingularis: neque extat in Scriptura ullum verbum de Cis Patris Saul inſidiis contra David: neque tectam illam nominis magnorum virorum mutationem ſatis probat. Certè quod de *Laban* pro *Nabal* dicit, non reperio. Nec is, qui Hieronymi præfert nomen, validè confutat opinionem de Chuſi conſiliario Abſalom. Siquidem literæ ס & ש ſunt permutabiles, maximè quum ש habet in latere ſiniſtro punctum, & nunc in Hiſtoria Regum eſt ש: non etiam oportet verba illa: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem,* de filio intelligi: & quamvis intelligatur, poſſunt eſſe non exprobrantis, ſed dolentis; tandem quod objicitur de patre Chuſi, potiùs conciliari poteſt, ut dixit Cantapetrenſis. Objicere poterat in libris Regum nomen ſcribi per ח, hic per כ: & *Chuſai* eo loco dici, hic *Chuſi*, vel potiùs *Chus*. Sed ſunt hæc quoque levis momenti.

Ariæ opinio nimis ſingularis. Laban pro Nabal. Arias & qui Hieronymi præfert nomen refutati.

Quare probabiles ſunt aliæ opiniones, illa potiſſimum quæ Patribus placuit: & eſt minùs violenta, ſimpliciter ſumens *Chuſi* pro nomine proprio: nec ex Hebræis deſunt, qui familiarem amicum Davidis Chuſi ſentiunt, Æthiopem genere fuiſſe, ſed converſum ad Judaiſmum; vel ob colorem ita cognominatum, licèt natione Judæus eſſet. Lege Abulenſem *d*.

Probabiles opiniones. Chuſi familiaris amicus David, cur Aethiops dictus. d in 2. Reg. 15.

Filii Jemini.] Saul quidem unum de avis habuit Jemini; Semei præterea filius Jemini dictus eſt; tamen fortaſſis Chuſi ex eadem familia erat, vel ex tribu Beniamin, ut ait B. Thomas, vel pater ejus, ut antè diximus, & idem B. Thomas, & Nicephorus Blemmidas, appellabatur duplici nomine, non ſolùm Arachi, ſed etiam Jemini, quamvis alii patriç cognomen velint eſſe Arachitem; Lyranus, & Abulenſis, nimirum ex Arach civitate in Chaldæa *e*, vel ex Archiatharoti termino tribus Beniamin *f*. In Pſalterio Syro extat hic Titulus: *Pſalmus dictus Davidi, quum audiviſſet ſuſpenſionem Achitophel*, vel *Pſalmus Davidi, eſt converſio populorum ad Fidem, & confeſſio in Trinitate*. Athanaſius *g*: *Si tibi, ait, aliqui inſidias nectunt, quemadmodum Achitophel David, cantabis ſeptimum Pſalmum.*

e Gen. 10. 10. f Joſue 16. 2. Titulus qui extat in Pſalterio Syro. g Tractat. de Interpr. Pſalm.

ARGUMENTUM.

NULLO negotio percipi ex Tituli expoſitione argumentum poteſt. Vel agitur de purgatione à crimine proditionis adverſus Saulem, de qua diſertè hic apud ſuos conquerebatur *h*; & viciſſim apud Saulem David *i*: vel à crimine cædis Saul, quo ei objecerat Semei *k*: vel de conſilio Chuſi, orando ut id velit Deus probabiliùs videri hoſtibus, quàm conſilium Achitophel. Amplectimur etiam opinionem, ut deſignetur populus Judæorum Chriſto machinans mortem: hac de cauſſa Æthiops ac teter; filius verò Jemini, hoc eſt, *dextra*, quia ſecundum carnem filii promiſſionis erant. Sed penultimam dixi jam propter Patrum auctoritatem probabiliorem cenſendam. Favet in Bibliis annotatio marginalis loci ex 2. Reg. 16.

h 1. Reg. 22. & 24. Variæ expoſitiones. i cap. 16. k 2. Reg. 16. Probabilior ſententia.

Dum autem orat David pro verbis Chuſi, hoc eſt, pro negotio & conſilio quod erat daturus ut proſperè ſuccederet: ſimul ſuam profert innocentiam, ac prædicit inimicorum interitum, licèt abhorreret à filii interitu: tandem vovet gratulationem pro felici eventu, & manifeſta divinæ providentiæ gloria, & utilitate Juſtorum. Sed & univerſè hac occaſione David invehitur in tyrannidem, & iniquos mores; fructum Juſtorum, qui cum pietate ac ſimplicitate vivunt, ex oppoſito commendans. Denique gerit perſonam, cujuſlibet Juſti, ſuſtinentis calumniam, ut ex Athanaſio retuli.

Verſ. 2.] Domine Deus meus in te ſperavi: ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Verſ. 3.] Ne quando rapiat ut Leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.

B VIDETUR in apertis verbis iſtis David, ut impetret opem contra inimicos initio profiteri ac proteſtari, nunquam ſe ſuis innixum cogitationibus, vel virtute, aut hominum gratia aſpiraviſſe ad honores atque divitias; neque paſſum ſe avelli ab unica ſpe in Deum: idcirco jure quodam ſuo iſtius fiduciæ fructum requirere, ut leoninam compeſcat adverſariorum ferociam, qui ſanguinem ſitiant ipſius, ac de medio ſublatum concupiſcant: pendere ſe totum à Deo, licèt adhibuerit amici Chuſi conſilium, & aliis præſidiis juxta prudentiæ præſcriptum ſeſe muniverit.

Domine Deus meus in te ſperavi,]Rectè Baſilius *l* monet, putari vulgari quid eſſe, & quòd à quovis poſſit ſanè ac verè proferri; tamen ſecus em habere; atque eorum eſſe dumtaxat, qui nihil niſi Deum colant; non ſperent in principibus, non confidant in homine, non in divitiis, aliave ulla re, præter Deum ſcilicet, & quæ ſubordinata ſit Deo.

Baſilii recta obſervatio. l Homil. in Pſal. 7.

Repetit crebro hanc in aliis verbis ſententiam David nec non aliæ divinæ litteræ, nimirum de ſpe circa ſingula, quum Gentiles etiam ſapientiores ferè ſolum de ſpe C ſummi præmii meminerint, ut Eugubinus notat. Attamen numina infinita colebat Gentilitas pro quadam infinitate minorum bonorum, & commodorum.

Eugubini obſervatio.

Singularem affectum in pronomine, *meus*, obſervat Chryſoſtomus, quemadmodum & quum Deus Juſtorum nonnullorum ſe peculiariter nominat Deum *m*. Qui Chriſtum hic loquentem faciunt, non verentur aſſerere, illum, ut homo erat, ſervum, atque ita compellare Deum Dominum, non tantum Deum ſuum, ut locutus eſt apud *n* Joannem. Loquuntur hoc modo Rupertus, Dionyſius, Valentia, Folengius, præſertim Dionyſius. Diſſevi copioſiùs hac de re alibi *o*. Ceterum quod ait Alcuinus, & Gloſſa Interlin. & Auguſtinus *p* antea docuerat, *Dominum* dici per potentiam, cui debetur dulia: *Deum* per creationem, cui debetur latria; non ſic accipiendum, quaſi diverſum genus adorationis ob attributa diverſa exhibeatur Deo; vel quaſi poſſit alius ei propriè cultus exhiberi quam latriæ. B. Thomas *q*, & ceteri Theologi eumdem honorem adorationis, ac eodem pacto Deo tribuuntur, quoniam unica eſt excellentia dignitatis ſuper omnes, quamvis in ſacrificio habeatur per ſe magis ratio Dei ut dominus eſt, quam ut ſapiens juſtus, &c. & victima mactetur Deo quatenus vitæ poteſtatem habet, mortiſque; item oratio feratur velut in potentem, ac liberalem, & ſic de aliis.

Chryſoſtomi in pronomine *meus*. m Exod. 3. 6. Chriſtum hic loquentem faciunt nonnulli. n cap. 20. 17. o Act. 4. p Quæſt. 94. in Exod. *Dominus* per potentiam cui debetur dulia ut ſit accipiendum. q 2. 2. q. 83. art. 3. ad 1. q. 84. art. 1. ad 2.

Alenſis *r*, Durandus *ſ*, Cajetanus *t*, docent, per *duliam* intellexiſſe Auguſtinum & alios genericam rationem adorationis, quæ vocatur ſervitus, non eam, quæ ſanctis exhibetur, & B. Virgini Hyperdulia; creaturis communicari cum nomine dominii, atque ratione ipſius, duliam, quæ Deo ut dominio datur; non autem *latriæ* vocabulum, quia nec deitatis ratio communicatur. Nihilominus participatione quadam nominantur homines *dii u*; quæ tamen deitas non ita propriè ſumitur, ſicut dominium, prout creaturis tribuitur. Lege Gabrielem Vaſquez *x*.

r 3. Par. q. 30 mem. 1. ar. 3 § 2. ſ 3. Diſt. 9. q. 3. ad 2. t 3. Par. qu. 25. art. 2. Per duliam quid intellexerit Auguſtinus. u Pſ. 81. 6. Joan. 20. 34. x lib. 1. de Ador. Diſp. 2. cap. 3.

In te ſperavi.] Memor eſto, præpoſitione cum Accuſandi, caſu ſæpè, quamvis non perpetuò, deſignari motum ſpei cum affectu caritatis, quemadmodum & in fide, quum quis credere dicitur in Deum. Chaldæus ponit *in verbo tuo*, quod alias cum ſæpe faciat, voluit fortaſſis indicare Trinitatis perſonam ſecundam Hebreo יהוה, *Chaſſithi*, emphaſin importat, hoſpitandi, ac recipiendi ſeſe in Deum, tamquam in tectum ſeu in locum munitum: quod aliter dicitur *a*, *habitare in adjutorio Altiſſimi*. Si de Chriſto locus hic intelligatur, tribuitur ei ſpes non propriè, ſed pro quadam fiducia, ut Dionyſius Carthuſianus notat, & aliàs dictum eſt.

Præpoſitio cum accuſandi caſu quid ſæpe deſignet.

a Pſ. 90. 1. Quomodo ſpes Chriſto tribuatur.

Salvum me fac.) Vide ſapientiam, inquit Chryſoſtomus: non dixit, Puni hoſtem, tolle de medio inimicum; ſed quod ſuum eſt, tantum quærit, &c. Salutem petit tamquam debilis libertatem ut captivus, inquit Baſilius *b*, & Chryſoſtomus (myſticè Chryſoſtomus illum, qui fidem adhuc habeat, ſed peccator ſit, hunc, qui nec habeat fidem, interpretans) Euthymius præterea explicat ſalvari, qui ſalvatur in bello ſine vulnere: eripi, qui ab invaſione atque impetu inimicorum liberetur. Alii aliter: ſed videntur ſynonyma. In Pſalterio Romano legitur: *Libera me ab omnibus perſequentibus me, eripe me.* In Ambroſiano; *Salva me ab omnibus perſequentibus me, & erue me.*

Chryſoſt. obſervatio. b Homil. in Pſ. 7. Myſtica Chryſoſtomi interpretatio. Euthymius *ſalvari* & *eripi* ut explicat.

Ex omnibus perſequentibus me.) Parricidam filium ſilet, pro pietate, & charitate in filium, ut notant Baſilius, & Chryſoſtomus; rejiciens potiùs in alios culpam: nec exaggerans tamen etiam, experimendo quod belligerarent, diriperent, regiæ inſultarent, ſe omnibus voluptatibus explerent, Inimicos externos, & internos, ſive ſpirituales intelligunt alii. Et potuit ſanè de utriſque David intellexiſſe.

Charitate in filium, David nomen ejus ſilet. Alia loci interpretatio.

Ne quando rapiat ut leo animam meam.) Aut Abſalom, aut Saul juxta ſententias diverſas, perſecutorum dux innuitur: myſticè Diabolus, quem & Petrus *leonem rugientem* nominavit, ut vidimus in Commentario Petri *c*, & animæ potiſſimùm inſidiatur. Sed quum *anima* ſumatur ſæpe pro vita, vel pro tota perſona, non ſequitur loqui de ſpirituali ſolo adverſario, ut Aſterius argumentari videtur, & Auguſtinus. Quamquam & ad litteram *Leo*, *Diabolum* deſignare poteſt, velut incitatorem externorum hoſtium David: & qui, ut ſubnotat Chryſoſtomus, filio mala perſuadendo, jam ipſius animam diripuerat. Quid ſi patheticè *animam ſuam* vocat C Abſalonem, quem minimè volebat perditum, timebat autem ne occideretur? In Diabolo Aſterius, & Euthymius fœtentem leonis animam, dicunt eſſe blaſphemias Chryſoſtomus, ignes ſpirituales, quos timet, ſicut Leo materiales, crucem in fronte, ac ſummam fiduciam in Deum. Petrus *d* Damianus, narrans hiſtoriam correpti à Serpente, ac valde graphicè deſcribens, indeque argumentans de rabie Dæmonis, citat præſentem verſum de eoque pronuntiat admirabundus; Brevis Scriptura quam longam formidandi materiam præbet ſanis mentibus! Subjicit prætereа narrationem à Leone devorati quæ mirificè facit ad illuſtrandum hunc locum. Regem præcipuè ſævum ſolet Leonis nomine ſcriptura *e*, appellare.

Myſtica expoſitio. c 1. Epiſt. 5. 8. *Anima*, pro vita, vel pro tota perſona. Aſterii & Euthymii expoſitio, & aliorum. d Apolog. ad Greg. VIII. Tom. 3. Bibl. Patr. pag. 670. & ſeq. *Regem ſævum ſolet Scriptura leonis nomine appellare.

Dum non eſt qui redimat, neque qui ſalvum faciat.] Quantumvis collegero exercitum. Nec enim ſalvatur rex *per multam virtutem f*, &c. Hieronymus vertit, *laceret, & non ſit qui eripiat.* Eodem fere modo alii Hebraizantes: vel per participium lacerans ſeu conterens Hebraicum participium eſt פורק *porek*. Verumtamen *g* alibi verbum idem expoſitum eſt per Græc. λυτρῶσθαι, & Latinum *redimere*, quæ ſunt hoc loco, *& redemit nos ab inimicis noſtris*. ויפרקנו מצרנו *vaiipbrekenu mitſarenu*: Chaldaicè פרק *uvarik*, καὶ ἐλυτρώσατο. Item *h*: *Servi dominati ſunt noſtri, non fuit qui redimeret de manu eorum* פורקאין *poreken*, *redimens nos*, nimirum eſt Chald. מנקלנו *parikleth*, λυτρούμενος οὐκ ἔστιν. Hoc autem loco LXX. acceperunt negationem relatam ad utramque dictionem, μὴ ὄντος λυτρουμένου μηδὲ σώζοντος; ſubintelligentes אין *en* poſt פרק *porek*, ſicut eſt expreſſum in citato poſteriore loco ex Threnis. Similis Pſal. 49 *i* locutio: *Intelligite hac qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

c Prov. 19. 12. Jer. 4. 7. Ez. 19. 2. & 2. Tim. 4. 17. & ſeq. f Pſ. 32. 16. 17. g Pſ. 135. 24. Lectionum diverſitas. h Threm. 5. 8. i verſ. 22.

Redimat.] Utitur ſcriptura verbo iſto pro quavis liberatione, licèt fiat abſque pretio. Ut enim dicitur Deus vendere, quem à ſua miſericordia quodam modo alienat tradens juſtitiæ miniſtris puniendum, quod venumdari dicitur ut faciat quis malum *k*, aut ſub peccato *l*: ita dicitur redimere, quod veluti à miniſtris Juſtitiæ erutos miſericorditer liberat, aut etiam prævenit ne iis tradantur.

Verbo redimendi quomodo utatur Scriptura. k 1. Mach. 1. 16. 3. Reg. 21. 20. 25. l Rom. 7. 14.

A *Verſ. 4.*] Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Verſ. 5.] Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.

Verſ. 6.] Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

PURGAT ſeipſum cum imprecatione. Nam ſi quod objicitur verum ſit, vel affectaviſſe regnum Saulis, vel ejus interfectionis auctorem fuiſſe, vel tyrannicè ac iniquè gubernaſſe, unde bellandi ſumere occaſionem Abſalom, quique illum ſequebantur, potuerint: quin potiùs è contrario ſi non benignum, & æquumque ſe geſſerit adverſus molientes perniciem ſibi, ſive eumdem Saulem, ſive filium; optat irritam cadere defenſionem ſuam, vigere perſecutores, in eorum cadere manus, ab iis proteri, atque nomen ſuum turpiter infamari Filium commeritum mortem, quod fratrem affeciſſe: morte *m*, ad tempus leviter caſtigatum, reduxit, B & reſtituit *n*. Saulem mortem ſibi machinantem bis, quum poſſet occidere noluit *o*. Extendunt hæc Enarratores ad imprecationem divinæ indignationis, ac æternæ vindictæ, niſi condonet quis proprias injurias; ſimul ad implorandam veniam atque miſericordiam pro peccatis, quum aliena contra ſe peccata dimiſerit. Videtur in his ſententiis execratorium contineri juramentum, quod concipi ſolet per particulam, *ſi*.

m 2. Reg. 13. n ibid. cap. ſequenti. o 1. Reg. 24. & 26.

Domine Deus meus,) Notat Ludolphus iſta in hoc Pſalmo ter repeti ad Trinitatem denotandam. At pluries fit ſeparatim mentio Domini & Dei. Propterea in ejuſmodi notationibus plus pietatis eſt, quam ſoliditatis. Repetitio denotat τὸ πάθος, & eximiam pietatem.

Ludolphi obſervatio.

Si feci iſtud.) Putat Auguſtinus hæc exponi perſequentia: *Si eſt iniquitas in manibus meis*, atque de omni peccato intelligi. Conſentit Remigius, & Caſſiodorus appellans Epexegeſin, & alii Latini poſteriores. Sed Gloſſa, B. Thomas, Ricardus Pampolitanus iſtud peccatum ſumunt pro ſuperbia Hebræi, atque Eugubinus iſtud referri putant ad omnia quæ enumerantur deinceps. Clarius ad id quod præceſſit: *Ne quando rapiat ut leo*, &c. id eſt, *ſi feci iſtud ipſum*, Chaldæus, quem citant Eugubinus, & Felix, *ſi feci iſtud canticum cum animo iniquo.*

Auguſtini expoſitio, Remigii & aliorum.

Græci interpretantur illud crimen, pro quo ferebat David perſecutionem vel Saulis, vel filii. Vult dicere ut placet Chryſoſtomo, & Baſilio; Si ita me ego male geſſi erga patrem, ut ſe erga me meus filius: ſed pro filio, inquit Chryſoſtomus, erubeſcit, ac pudore afficitur, ut quum vir generoſus videns uxorem adulterari, non ſuſtinet crimen exprimere *Si feci iſtud*: quod nec in ferris quidem cernitur.

Græcorum interpretatio.

B. Thomas notat, quando quis patitur tribulationem aliquam ex culpa ſua, ſolere dici ei. *Tu feciſti tibi iſtud*, ideſt Tu es in cauſſa ut hoc fiat. Confirmant hanc explicationem verba Ezechiæ *p*, juxta unam lectionem, cujus meminit Bernardus *q* quamvis rejecta ſit à Bibliis emendatis: *Quid dicam, aut quid reſpondebo tibi, cum ipſo fecerim?* ideſt, quum quod patior ait Bernardus, peccando meruerim? nunc legitimus, *quid reſpondebit,* D *& fecerit* Magnitudo interni doloris præcidere ſolet filum orationis, aut ſe proditam putans, paucioribus utitur verbis interpoſita reticentia. Quod idem contingit in aliis effectibus, ut amoris, iræ &c. maximè verò ſi agatur cum Deo cuncta intimè cernente. *Si cognoviſſes & tu*, inquit Chriſtus *r*: & Magdalena *ſ*, *Tulerunt Dominum meum.*

B. Thomæ obſervatio. p Iſai. 38. 15. Lectio verborum Ezechiæ, cujus meminit Bernardus, rejecta à Bibliis emendatis. q Serm. de Cant. Ezech. r Luc. 19. 42. ſ Joan. 20. 2.

Si eſt iniquitas in manibus meis.) Ut cujuſpiam divitias, poſſeſſiones, regnum rapiam, aliave ullum injuria afficiam, ſi eſt, עול *hhevel* violentia, derelictio, ac defectio à fide Principi debita. Manibus, ut inſtrumento externa omnia opera perficiuntur. Non gloriatur David, ſicut de eo videtur Ambroſius *t*, loqui, dicens, præſumptione virtutis elatum id dixiſſe, ſed coactus dicit quæ à ſe rectè facta erant, inquit Chryſoſtomus, & de particulari quadam loquitur cauſſa: non ſimpliciter ſe pronuntiat innocentem, ut obſervat Caſſiodorus. Accuſatus apud Saulem David, de quo Pſalmum hunc aliqui, ut dixi, accipiunt, ſemel reſpondens conqueſtus eſt *u*. *Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum ad verſum te*, &c. *animadvertere, & vide*,

Ambroſii expoſitio refutatur. t l. 3. in Luc. in cap. 3. u 1. Reg. 24. 10. & 12.

quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te.

Baſilii obſervatio in verbo *retribuendi*.
a Pſ.118.17.
Dare, reddere, retribuere quid ſit,

Si reddidi retribuentibus mihi mala.] Baſilius, *retribuendi* verbum Græcè ἀνταποδιδόναι docet in Scriptura non ſolùm in præmium aliquod boni & mali accipi, ſed in actionum principio, ut *Retribue ſervo tuo a*, ideſt, tribue: Dare, eſſe initium benefaciendi: reddere, menſuram iis quæ ſunt tributa, æqualem circumſcribere: retributionem alterum veluti dandi principium, ac bonorum, vel malorum in alterum quemdam cumulum, periodumque collatorum: per tale verbum quando poſtulatur retributio, denotari providentiæ curæque debitum, quod ex natura parentes neceſſariò debent liberis, ut ſcilicet præter hoc, quòd ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi ſubſidia ſubminiſtrent, quia parentum eſt liberis theſaurizare *b*: hoc loco ſumi pro eo quod eſt reddere, ſcilicet rependere ſimilia mala illatis ſibi malis. Ambroſius *c* explicat *rependere vicem*. Auguſtinus & Caſſiodorus magis perſpicuè declarant, ſi rependi mala ei, qui acceptis beneficiis reddidit mala, non ſolùm, qui nullo accepto nocuit, aut nocere voluit; illud enim eſt majoris patientiæ.

b 2. Cor.12.14.
c de Joſeph. c.1.23. offic. cap.9.
Ambroſii expoſitio verbi *retribuere*.
Aliorum.

Itaque primo modo *retribuere* idem erit, quod tribuere: ſecundo modo retinebit propriam notionem, ut ſit compenſare, ſeu pro eo quod acceperis, tribuere. Convenit hoc tum Sauli, tum Abſaloni: prior namque beneficia David contulerat in illos, pro quibus malè tractatus eſt. Fateor tamen pro ſimplici verbo compoſitum poni aliquando, & ita quoque aliis locis Auguſtinus *d* intellexit præſentem præter citatum Ambroſium, Euthymium, & alios. Sed nec Hebraicè retribuere ſignificatur verbo, quod eſt ſecundo, ſed quod primo loco, pro quo habemus, *reddidi*, ut poſtea videbimus.

Pro ſimplici aliquando compoſitū.
d Cont. Adiman. Manich. c.8. & 17. Ser.168. de Temp.

Oſtendit Chryſoſtomus & Auguſtinus Evangelicam in David perfectionem, tranſilientem legis ſeveritatem de talione *e*. Et argumentatur Auguſtinus atque Hieronymus *f* contra Manichæos, non repugnare Novi Teſtamenti Deum Deo veteris, ſed eumdem eſſe: quoniam licèt in vetere carnalibus vindictæ modum præſcripſit talionis legem, tamen in eodem non defuerunt, qui ea uti nollent, ſed re factoque prænuntiarent Evangelii perfectionem, (hoc quoque dicit Euſebius) ut præter Davidem ille alius, de quo Jeremias *g*; *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis*: item Jacob, Joſeph, Job. Affert etiam Auguſtinus *h*, vel Cæſarius Arelatenſis *i*, teſtimonia ex eodem Vetere Teſtamento *k*. Urget verò Chryſoſtomus Chriſtianos tamquam minùs venia dignos, ſi ſe ab hominibus legis veteris ſuperari hac in parte ſinant, quum longè majora lex nova exigat à nobis *l*.

Chryſoſtomi, & Auguſtini obſervatio.
e Deut.19.21 Levit.24.20 Exod 21.24.
Argumentatio Auguſtini & Hieronymi.
f Hieron. in c.5. Matth.
g Thren. 3. 30.
h Serm.168. de Tempore.
i Serm. 11.
k Exod.23. Lev. 19. 18. Prov.17.cap. 24. Eccli. 28.
l Mat.5.20. & ſeq

Quod attinet ad talionis legem, de qua mentio eſt apud profanos *m*, eratque non privati hominis, ſed magiſtratus eam exequi, multa diſputat Auguſtinus *n*. Non eam abrogavit Chriſtus, ſed hortatus eſt ad perfectiorem patientiam, ut in ipſis ſcintillis, ut loquitur Chryſologus *o*, extinguatur ira.

Talionis legem non privatus vir, ſed magiſtratus exequebatur.
m Gell. lib. 20 c.5. Alex. ab Alex lib.6. c.10. Ariſt.5.Eth
n 19. cont. Fauſt. c. 25.
o Serm. 38.

Porrò locum iſtum Vatablus, Felix, Pagninus, Cajetanus, ex Hebræo vertunt: (*ſi retribui pacifico meo malum, vel pacificè degenti meum*) quod graviſſimum ſcelus eſt, ait Eugubinus, nempe prodere amicitiam, & violare propter propria cupiditates; de quo ſcelere in altero conquerebatur David *p*: *Homo pacis meæ magnificavit ſuper me ſupplantationem*; &, *Tu verò, homo unanimis, dux meus, & notus meus q*, &c. non eſt autem crimen, vel ſi quod eſt, non tantum, vim vi repellere. Favet omnino Chald. *ſi reddidi auctori pacis meæ* לבעל שלמי *liubbel ſcelami*. Hebraicè legitur שלמי *ſciolemi*; & ſi punctulum addatur ſua מ, fiatque ſere, erit numerus pluralis שלמי *ſcioleme*. Tunc autem propter regimen referetur ad ſequens nomen רע *rahh*, nec aptè dicetur: (*ſi reddidi pacificis mali.*) Quum autem idem vocabulum poſſit ſignificare etiam retribuere, ut fatetur Eugubinus, debuit potiùs credi LXX. atque Hieronymo quàm Rabbi David Kimhi: immo ſequi oportuit omnium Patrum conſenſum, qui explicant locum de dilectione inimicorum, ut ex vetuſtiſſimis Ignatius *r*: & qui adeo expendunt & exaggerant in homine legis veteris, novæ perfectionem legis circa eamdem dilectionem inimicorum. Sed & Rabbi Abraham, & Rabbi Salomon expoſitionem noſtram ſequuntur. Quocirca nec Lucretium Tyroboſcum approbo, qui dum ſtudioſè congerit ferè ſex mille differentias verborum in Hebræa, & editione noſtra, ſequi ſolet deteriores Hebræi textus interpretationes. *Priùs*, ait ille, *non erat pacifico meo nocendum*; nunc verò, *non retribuendum eſt pro malo malum*. Lege adhuc de Davidis in hoc loco deprehenſa eximia charitate Chryſoſtomum *ſ*, Hieronymum *t*, Antiochum *u*, Auctorem *x*, Operis imperfecti (ubi crudeles ait, peccare ſe non arbitrari, ſi reddiderint mala pro malis) Hugonem *y* S. Victoris, Bonaventuram *z*.

Scelus graviſſimum, prodere amicitiam.
p Pſ. 46. 10.
q Pſ.54.14.
Patrum conſenſus.
r Epiſt. 14. ad Epheſ.
Lucretius Tyroboſcus notatus.
De charitate Davidis eximia legendus hoc loco Chryſoſtomus & alii.
ſ Hom. 8. ex diverſ in Matthæum locis.
t in c.1. Iſa. (Sequuntur retributiones.)
u Hom. 53.
x Hom. 12. in Matth.
y Quæſt. in ep. ad Rom. q.3 98.
z in Luc.c.17

Decidam meritò ab inimicis meis inanis.] Hieronymus, *& dimiſi hoſtes meos vacuos*, nempe ſpoliando illos, aut iis non benefaciendo: vel, *& dimiſi*, hoc eſt, dimittam, & recedam ab eis vacuus. Pagninus atque Cajetanus: *&*, (nimirum ego qui) ut ſupplet Pagninus, *erui anguſtiatorem meum*, ſive hoſtem, inaniter, hoc eſt, gratis, quaſi dicat; Si reddidi malum retribuentibus mihi mala: vel, ſi pacifico, ſive amico meo, ego inquam, qui potiùs liberavi eum aliquoties à mortis periculo, ſed gratis, & ſine fructu, quum ille me non propterea perſequi deſierit. Cajetanus referendo adverbium, *inaniter*, ad anguſtiatorem: explicat ſine cauſſa vexatum Davidem à Saule, & innuit quòd David, ut quidam objiciebant ſignificet ſe non ob vanam gloriam pepercisse Sauli, abſcindendo chlamydis oram, &c. ſed ſeriò, confringendo quoque ſermonibus, ideſt, diſſuadendo aliis, qui volebant ipſum interficere *a*. Eodem pertinet verſio Vatabli: *& ſi non erui*, aut eripui hoſtem meum ſine cauſſa, ſupplendo *non*: Item Felicis: *& oppreſſi*, rupi, extraxi, ſpoliavi tribulantes me ſine cauſſa, hoc eſt, ſi id feci, & Campenſis, *ſi hoſtem meum temerè ſpoliavi*, & non potius eripui, quam ille me odio adhuc capitali ſine ulla cauſſa perſequatur; & Eugubini: & (ideſt immo) liberavi hoſtem meum fruſtra, ideſt, licet fruſtra, & immeritum, & ingratum. Commodam omnia hæc ſententiam continent, ſicut & Paraphraſis Chaldæa: *& afflixi eos, qui me angebant fruſtra*: & Aquilæ interpretatio εἰ ἀνέῤῥυσα τοὺς θλίβοντάς με ματαίως. Sed imprecationem, quam ceteri omnes expoſitores hinc inchoari volunt, & editio LXX. ac noſtra præ ſe fert, rejiciunt in ſequentia verba.

Variæ lectiones.
Cajetani interpretatio.
a 1. Reg.24.
Vatabli verſio & aliorum.

Hanc imprecationem, ſive juramentum execratorium miratur Auguſtinus *b*, aut Cæſarius Arelatenſis *c*, qua fronte, vel qua conſcientia proferre poſſit, qui inimicis ſuis mala pro malis retribuit: Dorotheus *d* nil aliud adeo ſe demirari aſſerit, quam quod non advertamus quid quotidie pſallamus, nec intelligamus maledictionem & execrationem iſtam, quam pronuntiamus contra nos ſi ſimultates gerimus. Idem alii annotant de illa petitione *e*: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

b Serm.168 de Temp.
c Serm.11.
Dorothei obſervatio.
d Doct.8.
e Matt.6.12

Decidere inanem ab inimicis, videntur Euſebius & Baſilius in Homilia exponere, ex gratiæ Chriſti plenitudine decidere; rurſum Baſilius, & Theodoretus in Commentario, deſtitui ſpe non veniendi in poteſtatem inimicorum, ſed ut eis ſubjiciatur. Theodorus Antiochenſis, Euthymius, Lyranus, Titelmanus, diſcedere in infecta, nec valentem illos vel tantillum quidem lædere immo nec ſe defendere. Videntur duæ ultimæ litterales expoſitiones.

Decidere inanem ab inimicis quid ſit.

Prima expoſitio myſtica eſt quæ placuit Ambroſio *f*, dicenti ſolum improbum inanem eſſe, ſpoliatum, nudum; qualis Adam fuit *g*, & qualis Joſeph non fuit, quamvis ſpoliatus à fratribus *h*, animam (quod poſtea ſequitur) non poſſe comprehendi, niſi prius inanis fuerit effecta; viri probi veſtimentum eſſe juſtitiam, & judicium *i*. Gregor. *k* è contrario nudum poſſeſſionem rerum externarum cum nudo pugnare Diabolo feliciter ſcribit.

Myſtica expoſitio.
f 2. de Jacob. cap.5.
g Gen.3.7.
h infra 37.2
i Job.29.14.
k Hom 32. in Evang.
Nudus poſſeſſione rerum externarum cum nudo pugnat feliciter diabolo.

Tropologiam quoque habet expoſitio Dorothei *l*, ut proſtratus & jacens non valeat adverſario ſpirituali reſiſtere: ſit autem inanis, qui nullum bonum in ſe habeat, quo valeat tandem erigi, & aſſurgere, ac iterum congredi. Nec magis Caſſiodori ſenſus litteralis, ut privetur fructu magnæ manſuetudinis: neque de hoc certamine referat quod illi Dominus applicet ad coronam. Similia docent poſteriores Remigius, Haymo, & alii; vel ut nullam victoriam reportet de inimicis inviſibilibus.

Tropologica Dorothei expoſitio.
l Doct.8.
Caſſiodori expoſitio, & aliorum.

Paullo litteralius quod affert B. Thomas, imprecari ſibi Davidem pecuniæ detrimentum, & facultatum, ut ſerat & alius comedat, quo modo Job *m* loquitur, apud quem ſunt ejuſmodi execrationes imprecatoriæ multæ; vel ut nullam capiat de inimicis prædam, nullum reportet lucrum, ſed potius faciat diſpendium apparatus bellici;

B. Thomæ.
m cap.31. 8. & ſeq.

Atta-

Attamen caſum generaliorem præſtat accipere, pro fruſtratione totius expeditionis bellicæ: ut decidere inanem, ריקם *rekam*, ſit, nihil planè feliciter ſuccedere. Ad verbum poſſumus Hebræa reddere ואחלצה צוררי ריקם *vaachalletſah tſoreri rekam*, &, ideſt, *at etiam, ſic immo verò, ideo, ergo, nempe*, &c. declinabo inimicum meum inanis, hoc eſt, fruſtra declinabo, vincar ab eo: decidam ſpe, & conatu meo.

Agellii ſententia.

Putat Agellius, mutatis, & adverſis litteris, legiſſe LXX. pro אחלצה *achalletſah* אשלחה *aſallechah*, & phraſin Scripturæ eſſe dicet שלח ריקם *ſalach rekam*, *dimittere vacuum*, ideſt, expellere à ſe nudum, & egentem *a*: quod in Cantico B. Virginis quoque dicitur *b*, *dimittere inanem*, ideſt, ejicere è ſede ſua, ex patria, ſpoliatum omnibus: ſed & ἐκπεσεῖν Græcè eſt, excidere & exulare: tandem hoc loco: *Decidam ab inimicis meis inanis*, ſignificare ejiciar, & pellar ab iis vacuus nuduſque, vel fugiam ipſe, ſatis habens, ſi vitam ſervem, ſi pro ſpoliis animam, ideſt, vitam, habeam *c*. Quidquid ſit de aliis, quæ docet hic Auctor, non perſuadebit quod non ſemel aſſerit in hoc opere, nec ullo probat Auctore, aliter legiſſe LXX. quam adeo conſtanter in omnibus legatur Hebraicis libris. Ex ſignificatione ריקם *rekam* hoc loco monet Hieronymus intelligi, quid per *raca* intelligendum ſit in Evangelio *d*. De hoc quoque diximus Pſalmo ſecundo *e*.

a Gen.31.42
b Luc.1.53.
c Jer.21.9.
Agellius impugnatus.
Hieronymi obſervatio de voce *raca*.
d Mat.5.22.
e verſ. 1.

Meritò.] Ἄρα, *ergo*: quo pacto legit etiam Auguſtin. Significat præterea dictio Græca; *utique, profectò, tandem*, modum conceſſionis, ſicut adeo tritum illud vulgi *horsù*.

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat.] Et hic præter myſticum de Diabolo ſenſum, qui animæ inſidietur, & in ſervitutem redigat, vita per *animam* intelligitur, qua ſe privari optare ſignificat David, morique; aut etiam totus & integer homo *anima* nomine deſignatur. B. Thomas *perſequi vitam* interpretatur de perſecutione: *comprehendere*, de captivitate: Dionyſius, ultimum de occiſione. Sed hæc aptius rejicitur in ſequens membrum; & comprehenſio, crudeles & ignominioſos importat præter captivitatem.

Anima pro vita.
Totus ac integer homo *animæ* nomine deſignari poteſt.
B. Thomæ expoſitio & Dionyſii.

Conculcet in terra vitam meam.] Myſticè: Terrenis me volutet ac affigat. Diabolus rebus, & me tamquam terram ſerpens ille comedat. Ad litteram, ut vile mancipium poterat, perpetuæ infamiæ condemnet: ſanguinem meum, inquit Euthymius & Nicephorus, conculcet, qui ſanguis vitæ cauſſa eſt: me penitus proſternat, vel occidat, inquit B. Thomas, ita ut, ait Lyranus, cadaver conculcetur ab hominibus, & beſtiis: conculcando interficiat, inquit Cajetanus. Graviter quæritur alibi *f*. David de conculcantibus; & gravis habetur injuria, intingi pedem in ſanguine *g*. Affinis Pſalmi 142. ſententia *h*; *Perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam*. Hic eſt verbum רמס *ramas, conculcare cum ſono pedes*, & *quatere* ſignificans. Hoſtile ſignum, victoriæque eſt, victos conculcare *i*; *Conculca anima mea robuſtos k*. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*: Principes exercitus Iſrael poſuerunt pedes juſſu Joſue ſuper colla quinque regum, & calcarunt *l*: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum m*: *calcabitis impios, quum fuerint cinis, ſub planta pedum veſtrorum n*: *Qui conterunt ſuper pulverem terræ capita pauperum o*. Eodem ſpectat promiſſum de conculcando leone, & dracone *p*: ad idem alludit victoriæ ac triumphi ſignum Apoſtolus *q* optans ut Deus pacis conterat Satanam ſub pedibus noſtris velociter, ut notat Chryſoſtomus; Chriſtus etiam dando poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones; & ſupra omnem virtutem inimici *r*: ſimilis comparatio Job *ſ*: *Calcet ſuper eum, quaſi rex, interitus*: tandem Sapientia, quod omnium ſuperborum & humilium colla propria virtute calcat *t*.

Myſticus ſenſus.
Litteralis.
f Pſ.55. 2.3.
Gravis habetur injuria, intingi pedem in ſanguine.
g Pſ.67. 14.
h verſ. 3.
Hoſtile ſignum conculcatio.
i Jud.5. 21.
k Deut. 33. 29.
l Joſ. 10. 24.
m Pſ.109.2.
n Mal. 4.3.
o Amos 2.7.
p Pſ.90.13.
q Rom.16.20
r Luc.10.19.
ſ cap.18. 14.
t Eccl.24.10

Notat Cedrenus *u* more dudum recepto ab Imperatoribus, & conſuetudine confirmato, Thomam læſæ reum majeſtatis, juſſum à Michaele Balbo porrectum jacere in pavimento: ejus autem cervicem pedibus ſuis calcaviſſe, tum pedibus manibuſque mutilatum, & aſino impoſitum, ſpectaculi loco per caſtra circumductum, nihil aliud vociferantem, quam: *Miſerere mei, qui verus es Rex*.

u in Compen. hiſt. an. 201.
Cedreni obſervatio de more ab Imperatoribus recepto, in morte Thomæ.

Subdit & Anaſtaſium Thomæ filium poſtea eodem quo patrem, modo, tractatum. Memorabilis etiam Friderici Imperatoris demiſſio, collum ſubmittentis pedi Alexandri III. Papæ, quum hic interim diceret: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem x*: & illi excipienti: *Non tibi, ſed Petro*, reſponderet: *& Mihi, & Petro y*.

Item in morte Anaſtaſii Thomæ filii, Friderici Imperatoris ſummiſſio ad pedes Alex. III.
x Pſ. 90. 13.
y Gennad. Scholar. de Primatu Pap. ſect. 8.

Si ferret Latinæ, vel Græcæ, & Hebr. linguæ uſus, quod Italicæ, ut vita ſumeretur pro toto corpore, calcatam vitam in terra diceremus ipſum corpus totum omni ex parte alliſum terræ, & protritum pedibus, ut ſolet à leone præſertim agitari præda. Quò forſan reſpicere David voluit, quum antea dixiſſet: *Ne quando rapiat ut Leo animam meam*. Eugubinus explicat, ut humi proſtratum calcibus vexet, cædat, interficiat, non relinquat uſque dum mactet. Tale quod Daniel *z* de hirco vidit, veniſſe ad arietem, & percuſſiſſe eum & comminuiſſe duo cornua ejus, & non potuiſſe arietem reſiſtere ei; quumque eum miſiſſet in terram, conculcaviſſe, & neminem quiviſſe liberare arietem de manu ejus.

Vita pro toto corpore, in lingua Italica.
Eugubini explicatio.
z cap.8.7.

Et gloriam meam in pulverem deducat.] Aliqui codices editionis noſtræ, non tantum Hieron. habent, *collocet*. Alii vertunt, *habitare faciat*. Hæc duo ſibi volunt Græc. verbum κατασκηνῶσαι, & Hebr. ישכן *iaſchen*. In gloriam ſignificat mortem, ſine ulla poſt eam celebritate nominis, ſine prole, ut placet Theodoro Antiochenſi, Origeni, Chryſoſtomo, Theodoreto: quam relinquere, in gloriæ magna parte ducebant Hebræi. Ultimum, quod vocant, *exterminium*, ut reparari non poſſit: quod Hieronymus indicat: corpus, (quod vocetur gloria, ob ingentes vires, aut regni decus) in terra jacere, ac in pulverem reſolvi, ut exponit Euthymius, atque Nicephorus: gloriam regni Iſrael per cadaveris ſui incinerationem, ut Lyranus, & Eugubinus.

Conſtat *gloriæ* vocem ſumi quandoque pro anima *a*, & pro ea omni re, qua quis efficitur, vel habetur glorioſus. Nec abſonum videatur, audire, *animam in pulverem deduci*; ſicut & quum dicitur, *adhærere pavimento b*, intelliguntur enim hæc, & his ſimilia de toto homine, ſed de anima cum corpore conjuncta: ſicut & *vitam conculcari*, dictum priùs, ideſt, corpus vivens, vel corporis viventis partem, præſertim in qua vita maximè viget, ut eſt venter ac pectus. Poteſt etiam idem denotare, *gloriam in pulverem deduci*, atque *conculcare in terram vitam*, ut deducatur gloria in pulverem, ideſt, anima, eave pars, in qua vita magis deprehenditur, ut modò dixi. Potuit præterea caput per *gloriam* intellexiſſe, nobiliſſimam partem & præ ceteris magis ornari ſolitam, vel inteſtina, jecur, corque, &c. quæ inimicus tamquam Leo dejiciat. Sic namque effuſum jecur (quod alia ſignificat inteſtina) apud Jeremiam *c*, vocant LXX. δόξαν, & in Geneſi *d* pro *gloria* tranſtulerunt *jecur*. Hæc ante me notavit Agellius. Mitto myſtica, ut glorietur de terrenis rebus, vana, & vento pulveris inſtar jactata gloria, & in talibus occupetur intellectus, & conſcientia, quæ ſunt gloria hominis ad Dei imaginem facti. In fine eſt diapſalma, & Selah: de qua dictum pridem.

Gloria vox quandoque pro anima.
a Gen.49.6.
b Pſ.118.25.
Gloriam in pulverem deduci, & conculcare in terra vitam, eadem
Per *gloriam* poteſt intelligi caput, jecur, cor.
c Thren.2.11
d cap.49.6.
Myſtica interpretatio.

Verſ. 7.] Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum. Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti.

POSTQUAM per imprecationem comprobavit innocentiam ſuam, ſimulque hoſtium crudelitatem declaravit, qui perſequerentur tot modis innocentem; vires à rectè factorum conſcientia colligens, Deum adverſus illos concitat, qui ſolus eorum queat agmina frangere, conatus impedire: petitque ut juxta legem, quam tulit, ſententiam ferat de ſe: nec enim recuſare, ſi commeruit, quin ſolvat pœnas, quas vult ut Magiſtratus à reis exigant.

Exurge.] Quaſi jacens vel ſedens, vel dormiens, dum diſſimulat, & non punit; vel quaſi aſcenſurus tribunal ad judicandum, juxta illud; *Sediſti ſuper thronum, qui judicas juſtitiam e*. Uſitata crebrò phraſis, & interdum exprimendo ne dormiat *f*: Et quum vehementiùs Deus animadvertit, dicitur excitari *tamquam dormiens g*.

e Pſal.9.5.
f Pſ 43.23.
g Pſ.77. 65

In ira tua.] Chryſoſtomus meminit pro ἐν ὀργῇ, alios legere, ἐν θυμῷ, *In furore*: nonnullos, ἐν χόλῳ, *In indignatione*, ſeu bili: quoſdam, ἐν ἀνυπερθεσίαις, *In celeritatibus*. Theodoretus ultimum, ſed in ſingulari, Ἐν ἀνυπερθεσίᾳ tribuit Aquilæ; ſecundum, Symmacho: primū, Theodotioni. Quamvis videatur Chryſoſtomus varias iſtas

lectio-

lectiones referre ad ſequens membrum. Chaldaicè, *In fortitudine tua* בתוקפך *bethukphach*. Quod eſt quòd Pſalmo ſexto nolebat ipſe in furore argui, neque in ira corripi; & hîc paulò antè proteſtatus eſt ſe pro malis mala non rependiſſe: nunc provocat iram Dei contra inimicos? Imminente, ait Euthymius, periculo vitæ, accedit ad ſui defenſionem, tanta iniquorum hominum ſcelera ampliùs non ſuſtinens. Addo implorationem iræ divinæ in alios, pertinere ad propulſandam acceptam injuriam, & vindicandam offenſam divinam. Quum deprecamur à nobis ipſis iram & furorem Dei, agnoſcimus peccati gravitatem tantam, ut nonnullam pro eo experti acerbitatem pœnæ, multo adhuc ingruere graviorē vereamur. Animus noſter nobis de ſua pœnitudine teſtis eſt: de aliis haud ita liquet: nec decet, impunita publica ſcelera relinqui, dariqne peccandi licentiam.

Et exaltare in finibus inimicorum meorum.] Complutenſes libri Regii, & alii Græci, & Latini, & Euthymius, habent, *tuorum*, & Pſalterium Romanum, atque Ambroſianum. In Arabico & Æthiopico, & apud Didymum, Theodoretum, Auguſtinum eſt, *meorum*: Arnobius & Baſilius videntur pronomen omiſiſſe. Qui ſunt inimici juſti, ſunt etiam Dei; viceque verſa. Hieronymus: *Elevare indignans ſuper hoſtes meos*. Alii, *eleva*, vel, *attolle te propter indignationes hoſtium meorum, exultare inter iracundias tribulantium me: Elevare in indignationibus anguſtiatorum meorum*. Hoc ſibi vult χόλος θλιβόντων. Symmacho, & Theodotioni θυμὸς quem imploret David ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς. Aquila poſuit ἀνυπερθεσίαις ἐνδεσμούντων, *celeritates illigantium*. Chaldaicè, *Elevare in furore ſuper oppreſſores meos* ברוגזא על מעיקי אתנטל *ithnattel berughe zach hhal mehhikai*. Hebraicè autem ut etiam recitat Chryſoſtomus, בעברות צוררי הנשא *Hinnaſe vebhauroth tſorenai*. Valet autem עברות *hhauroth* tranſitus, (unde Hebræi dicti putantur quaſi tranſitores, & transfluviales, ut aliàs dixi) accenſiones, inflammationes, indignationes. Senſus tunc eſſet, elevare in furore inimicorum meorum, quò in illos ſævias: aut contra furorem illorum elevare in tranſitus, ideſt, tranſgreſſiones, tranſilitiones æqui ac juſti: Vel, dum tranſeunt in nos *a*.

Qui etiam inimici Juſti, ſunt etiā Dei: & vice verſa.

Immeritò Græci reprehenduntur ignorantiæ ab Eugubino, qui reddiderint *fines*, aut *cervices*, aut *in fine*: nam quum Hebræa vox, ut ipſemet aliique concedunt, ſignificet *tranſitus*, & fines ſint, ad quos Tranſimus, rectè Græci verterunt, *In finibus*. Juxta hanc editionem noſtram, *exaltari in finibus inimicorum*, ἐν τοῖς πέρασι τῶν ἐχθρῶν, erit, vel in mortibus eorum (eſt namque mors extrema, & finis) ut hac in re Deus, qui per ſe altus, & ſublimis eſt, talem hominibus ſe oſtendat *b*: vel in genere, ut declaret ſe omnibus altiorem potentia illa ſua ineffectabili, qua omnes omnium terminos potentiæ excedit *c*: vel ut magnificetur glorificeturque in oſtenſione juſtitiæ ſuper omnes inimicos per circuitum, nemine excluſo *d*: vel ut attollatur, ac dilatetur ditio Dei, occupando fines inimicorum *e*: aut ſaltem efficiendo; ut iniquè ab iis occupatos ipſe David recuperet: vel ut elevetur tamquam ſuperior ac victor, deprimendo, ac expellendo inimicos, ita ut abeant, redeantque in loco proprio, relictis injuſtè occupatis *f*: vel, ut exaltetur ſuperior evadens in finibus inimicorum, ideſt, in exceſſibus furoris & impetus eorum *g*: vulgo *nelli eſtremi, nelle ſoverchierie*, vel occupando terminos inimicorum, fines, tranſitus, vada undique cingendo, ne quis evadere, & effugere valeat *h*: πέρατα enim ἀπὸ τοῦ περᾶν, quod eſt *tranſire*, ac *tranſvadare*, *tranſitus* & *vada* ſunt.

a Genebrar. Græci male ab Eugubino ignorantiæ reprehenſi. Exaltari in finibus inimicorum, quid ſit. Interpretationes variæ. b Euthymius, Baſilius, Theodoretus, Theodorus, Nicephorus. c Folengius. d Titelmanus. e Bruno, B. Thomas, Auguſtinus. f Lyranus. g Arias, Athanaſius, Didymus. h Chryſoſt. Πέρατα, πέραν.

Hi adeo multi modi, quibus declaratur eadem brevis ſententia ſecundùm editionem noſtram lecta, boni ſunt, & facilè cum illis concordare poſſunt, qui juxta Hebræam aliis allati ſunt. Quod Aquila dixit, ἀνυπερθεσίαν vel in plurali ἀνυπερθεσίαις, ſignificat *celeritatem*, aut *celeritates*, & concitationes, nempe in tranſiliendo, in invadendo, &c. quas nos furias poſſumus interpretari, aut in morem furiarum ſubitas & repentinas, vehementes, celeres hoſtium incurſiones, quales vulgo tribuuntur Gallis militibus. *Exaltare in his*, eſt velut de loco ſuperiore prævertere atque comprimere. Item quando miſeretur Deus, videtur ad nos deſcendere. Cenſebitur ergo exurgere, & altari puniendo, quaſi vel attollendo brachia, ut fortiùs feriat, vel tribunal ſcandendo. Myſticè Chriſtus exaltari dicitur, tum per crucifixionem, tum per aſcenſionem, tum per nominis celebritatem. Lege Pſalmum tertium *i*.

Ἀνυπερθεσία. Myſticè Chriſtus exaltari ut dicitur. i verſ. 4.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti.] Hieronymus: *& conſurge ad me, judicio quod mandaſti*. Pagninus: *& ſuſcita te ad me, judicium præcipiſti*. Vatablus: *& evigila, ut adducas ad me judicium, quod præcepiſti*. Felix: *& exurge ad me, excita ad me*, ideſt, pro me, *judicium quod præcepiſti*. Carpenſis: *& præſta quam promiſiſti vindictam, ſuppetias ferendo*. Cajetanus: *& expergiſcere ad me judicio quod mandaſti*. Ita ſanè ad verbum ex Hebræo, ועורה אלי משפט צוית *Vehhurah elai miſchpat tſiuuita*. Chaldæus: *& accelera mihi*, &c. וסרהיב *veſarcheu*. Chryſoſtomus refert, alium pro ἐν προστάγματι legiſſe, ἐν κρίματι, *in judicio*. Sine punctis אלי poteſt ſonare *Deus meus* אלי *eli*: & *ad me* אלי *elai*, vel per paragogen non infrequentem, erit *Eli* idem quod *Deus* abſque pronomine, *meus*, omnem משפט *miſchpat* non modò *judicium*, ſed *conſuetudinem* quoque ſignificat: hæc præcepti vim habet.

Chryſoſtomi obſervatio. Vocis michpat ſignificatio.

Dixi in Paraphraſi ſenſum eſſe, de præcepto, quod Deus dedit Magiſtratui, ut ſontes puniat, atque quod alios facere præcepit, faciat ipſe, quia ſine ipſo fieri non poſſit. Indicant hunc ſenſum, licèt de ſpiritualibus etiam hoſtibus loqui videntur, Euſebius, Theodorus Antiochenſis, Theodoretus, Baſilius, Chryſoſtomus, Euthymius (qui tres nominatim exprimunt violatum ab Abſalone præceptum de honorandis parentibus.) Lyranus præterea, Ludolphus, Dionyſius, quamvis agat de Chriſto, Cajetanus, Lipomanus, Janſenius, Oſorius, Gagnejus, Genebrardus, Jovita Rapicius, Eugubinus, Titelmanus, denuo Lipomanus, Pintus *k* quoque. Pertinet eodem expoſitio Treveti de promiſſo divino, fore ut Davidi requiem daret Deus ab omnibus inimicis *l*. Alii exponunt de imperio, quo Deus ſignificavit Samueli, velle ut David regnaret *m*. Sic B. Thomas, Burgenſis, Vatablus, Clarius, qui recurrit ad vaticinium Jacob de tribu Juda *n*, iterum Gagnejus Arias de providentia, quam ſe rerum humanarum habere teſtatur Deus in iis quas tulit legibus præceptiſque; ut idcirco hanc flagitet providentiam in ſua nunc cauſſa cum Saule declarari. Folengius de præcepto, quod cuique mandavit Deus, de Proximo ſuo *o*, ut homines inter ſe exurgant beneficiis, æque judicando, ac miſeros è ſceleratorum manibus vindicando. Alii de lege, ne judex inſontem occidat *p*; quod nitebatur Saul inſidiendo Davidi; & de alio, ut parentes honorentur *q*, quod minimè faciebat Abſalom. Cohærent omnia cum eo quod primo diximus loco.

Senſus in Paraphraſi. Euſebii & aliorum interpretatio. Lyrani & aliorum. k in c. 3. Daniel. & in c. 20. atque 25. Ezech. Treveti. l 2. Reg. 7. 11. Aliorum. m 1. Reg. 13. 14. n Gen. 49. 10. o Eccl. 17. 12. p Exod. 23. 7. q Exod. 20. 12.

Græci myſticè adhuc accipiunt locum iſtum de reſurrectione Chriſti, ut hortetur Propheta Chriſtum ad illam, & ulciſcendum peccata, & perficienda quæ dedit mandata, ſcilicet Spiritum Sanctum largiendo, per quem à peccatis abſoluti, impleant legem ipſius. Conſentiunt Hieronymus, Caſſiodorus, Arnobius: Ruffinus autem, Auguſtinus, Remigius, Beda, B. Thomas, Haymo, de præcepto humilitatis, quod Chriſtus dedit: Bruno, & Ricardus Pampolitanus de præcepto charitatis fraternæ interpretantur: Dionyſius & Valentia de præcepto, hoc eſt, de prædictione, & promiſſo everſionis Hieruſalem, & Hebræorum, converſione verò Gentilium, quum ſequentibus verbis denotari putant; Ruffinus rurſum de præcepto prædicandi Evangelium omni creaturæ. Alii, quia per modum cujuſdam præcepti dixerat Chriſtus: *ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud r*: Utilis profectò nobis admodum reſurrectio, & aſcenſio Chriſti: illa propter juſtificationem *ſ*: hæc, ut veniret *t* Paraclitus. Idcirco ſponſa claudit Canticum hoc ſermone *u*: *Fuge dilecte mi*; quum prius invitaſſet in hortum, *x* & deſcendiſſe gratulata eſſet *y*; ſed fugiendo aſſimulari optat ſponſum hinnulo cervorum, qui fugiens faciem retro vertit: ut ſcilicet locatus in dextera Patris nos tamen ſemper aſpiciat: immo & faciat ut conſequamur, immo & trahat: ut ſolent animalia illa teneros ſecum fœtus fuga eripere, & ſi nequeant, ſola detrectant evadere, ut Oppianus *z* prodit. Sed tanto opere non eſt operæ pretium in myſticis immorari.

Græcorum myſticus ſenſus. r Joan. 2. 19. ſ Rom. 4. 25. t Joan. 16. 7. u Cant. 8. ult. x cap. 5. 1. y cap. 6. 1. Animaliū quorūdam amor erga fœtus. z 2. Synaget.

Verſ. 8.]

Verſ. 8.] Et Synagoga populorum circumdabit te: & propter hanc in altum regredere.

QUæ dixit maximè de præcepto illo Deo, in quo flagitabat, ut intentus ac vigil eſſet, profitetur ſe non ſua ipſius præcipuè cauſſa propoſuiſſe, ſed ipſiuſmet Dei religioni, atque nomini conſulentem, et publicę aliorum utilitati, qui providentiæ nimirum videntes divinæ documenta, præſertim in vindicandis injuriis majore ſint alacritate culturi Deum, & laudaturi, ſuamet quoque ipſius opera, ubi redegerit illos in poteſtatem, quum ſub iniquo Principe degentes, ab ejus eſſent cultu alieniores. Quocirca hanc urgens communem populi utilitatem, petit etiam ut hac ratione videatur vindicando vexatos, aliam repetiſſe judiciariæ ſedem poteſtatis, quam diſſimulando videbatur quodammodo reliquiſſe.

Propter nexum hujus cum priore verſu, non opus eſt traditum litteralem ſenſum pluribus confirmare, vel hęc ad myſticos accommodare de aſcenſione Chriſti, converſione Gentium, &c. de qua etiam explicans Iſaiam Hieronymus *a*, de ſingulis dumtaxat quædam annotabimus. Auguſtinus *b*, ait hic prædici poſt Aſcenſionem Chriſti, quæ ſecuta eſt humiliationem ipſius, fore, ut congregatio populi fidelis congregetur in unum per fidem, & plus poſſe videatur, quando abſens à fidelibus in homine illo ſuſcepto ſentitur. Singularis autem, & improbabilis Eugubini ſententia, ſermonem eſſe de hoſtibus, ac veluti rationem reddere, quare ſit exurgendum Deo in ira, & ad implendum præceptum de vindicandis impiis, quia circumdaturi ſint impia obſidione Deum ipſum.

Nexus hujus verſus cum præcedente. a in c. 56. Iſ. Auguſtini expoſitio. b 2. de Sim. cap. 7. Eugubini ſententiæ improbatæ.

Synagoga populorum:] Hieroymus: *Congregatio tribuum*. Auguſtinus, *Congregatio populorum*, & alibi idem Hieron. *c*. Non ita propriè, *tribuum*, vertitur, ſicut, *populorum*, ut patet ex לאמים *leummin*, unde forſitan λαὸς. Lege Pſalmum ſecundum *d*. Synagogæ vox latiùs accipitur, & non prout attribuitur Hebræis; nobis autem appellatio Eccleſiæ, de qua diſtinctione alibi egimus.

c ſupra. Λαὸς unde poteſt eſſe. d verſ. 1. Synagogæ vox latius accepta.

Myſticè interpretando, malim in genere omnes, aut Gentiles certè, quam, ut Bruno facit, Judæos intelligi; etiamſi multa, initio Eccleſiæ, horum millia converſa ſint, & ſub finem mundi ſint convertenda.

Myſtica interpretatio.

Circumdabit te.] Hieron. *circumdet*. Chryſoſt. refert eamdem lectionem κυκλώσαι τωσε. Circulum iſtum ſignificatum verbo κυκλώσαι, ait Chryſoſtomus indicare laudes, celebrari canique ſolitas: per choros templum circumſiſtentes, & altare. Indicat verò proceſſiones, & circuitiones religioſas, quales quæ deſcribuntur in libro Joſue *e*, & Eſdræ *f*, & Regnum *g*, ac Paralipomenon *h*. Eodem facit quod eſt in Pſalmis *i*; *Circumdabo altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, & enarrem univerſa mirabilia tua*. Item *k*: *Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus ejus. Ponite corda veſtra in virtute ejus, & diſtribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera*. Lege Gretſeri noſtri libros duos de Proceſſionibus.

Chryſoſt. expoſitio. e cap. 6. f lib. 2. c. 12. g 2. Reg. 6. lib. 3. 8. h 1. Par. 13. & 15. & 16. lib. 2. cap. 5. i Pſ. 25. 7 8. k Pſ. 47. 13. 14.

Anguſtior expoſitio Lyrani, circa templum congregandos fideles, ut poſtulent vindictam contra Gentiles eos perſequentes: & Valentiæ, de Gentilibus obſeſſuris, atque deſtructuris templum. Trevetus petitam phraſin putat ab iis, qui territi ab hoſtibus, congregari ſolent, & circumdare illum, quem ſciunt poſſe eos defendere, atque protegere: Davidē petere ut ſibi ſubjectus populus duodecim Tribuum, poſſit congregari circa Dominum, tamquam circa refugium, & defenſorem, pacificè, & ex omni parte conveniendo ad Tabernaculum Domini.

Lyrani anguſtior expoſitio, Valentiæ. Trever.

Maximam vim habet in hominibus ad colendum, & venerandum Deum, ſi perſuadeant ſibi eum vindicem eſſe, atque ſceleratos pœnis afficere. *Cognoſcitur Dominus judicia l faciendo*: *Scient*, inquit ipſe, *quia ego Dominus, quum dedero vindictam meam ſuper eos m: quum incurvatur ſublimitas hominum, & humiliatur altitudo virorum, elevatur Dominus ſolus n. Exaltatur in judicio, & Sanctus* (per ſe) *ſanctificatur* (apud alios) *in juſtitia o*. *Scitur, quia ipſe eſt Dominus percutiens p*. *Virga Aaron percutit, ſed profert flores, & amygdala q*.

l Pſ. 9. 17. m Ez. 25. 17. n Iſa. 2. 17. o Idem Iſa. c. 5. 15. 17. p Ez. 7. 9. q Num. 17. 8.

Sed & probus piuſque quum viget in Republica Princeps, populus facilè ad Deum colligitur. Quum Abderitę Democritum ſuum, quia rideret omnia, & ſemper ægrotare crederent, Hippocrati ſcripſerunt ut advolaret, hominem curaturus, ſine quo peſſum iret civitas, & cujus pluris facerent re alia quacumque ſanitatem, & dum ægrotaret, leges ipſas crederent ægrotare, ac prævaricari: Approbans Hippocrates hoc de Principe bono judicium, Beatos reſpondit, qui ſcirent ejuſmodi homines eſſe munimenta, non turres, aut muros *r*.

Abderitarū in curando Democrito ſuo, ſtudium Hyppocratis reſponsū Abderitis datum. r In ep. Hip. n. 5. & ſeq.

Et propter hanc in altum regredere.) Chald. *ad domum Majeſtatis tuæ* לבית שכנתך *Leveth ſcechinethach*. Aſcenſus hic pro Synagoga populorum paſſim ſenſu myſtico exponitur de aſcenſione Chriſti in cœlum, unde Spiritum S. mitteret, & quo *captivam duceret captivitatem ſ*: ab Athanaſio autem etiam pro aſcenſu, & exaltatione in crucem, per quam videlicet omnia tracturus erat ad ſeipſum *t*, & omnium peccatorum affixurus chirographum, & deleturus decretum *x*, contrarium nobis, & oraturus pro *y*, crucifixoribus, inquit Heſychius.

ſ Pſ. 67. 19. Ep. 4. 8. t Jo. 12. 32. u Col. 2. 14. x Luc. 23. 24.

Ad litteralem ſpectat ſenſum, ut magis conſpicua edat Deus ſuæ vindicis potentiæ ſigna contra hoſtes, unde conſequetur ut magis illum Synagoga, & multitudo populorum conſectetur. Sic explicant Chryſoſtomus, Theodoretus, Lyranus, Burgenſis, Ludolphus, Trevetus, Dinoyſius, Cajetanus, Folengius, Genebrardus, & alii. Nam de loco ſuperiore velut de arce validiora mittuntur tela, quemadmodum olim Deus miſit *lapides grandinis z*. Dum non ponit Deus, non videtur excelſus, aut in excelſo ſedere throno, ac proprium tueri Altiſsimi epithetum: qui fortiùs ferit manu extenſa, brachio manuque id facit excelſa *a*. Unde dicitur Deus excelſus judicare *b*, conſurgere, exaltari, ſublevari *c*, ad judicandum & vindicandum.

Litteralis ſenſus. Chryſoſtomi & aliorū expoſitio. y Joſ. 10. 11. z Iſ. 9. 12. 17 21. Cap. 10. 4. a Job 12. 22. Eccl. 5. 9. b Iſ. 33. 10.

Ferri non debet Eugubinus, dum contendit legendum *non propter hanc*: aut, ut reddidit Hieronymus *pro hac*: ſed *contra*, vel *ſuper eam*: & eſſe imprecationem contra Synagogam populorum, quaſi diceret; Contra hanc fac impetum, collige vires tuas, arma in eos converte, ex altiſsimis arcibus tela intorque, &c. Oritur hæc interpretatio ex alia, qua circumdationem Synagogæ populorum aſſerebat eſſe impiam obſidionem, pugnamque quodammodo contra Deum ipſum. Haud melior interpretatio Agelli: etiam ſi te circumſtent qui Saulem juvent, orantes ut illos ipſe audias, & juves, ne id facias: ſed ſuper, contraque illos in altum regredere majeſtatis ac ſublimitatis opera edendo, eoſque comprimendo.

Improbatæ lectiones. Agellii.

Abhorrent hæc penitus à magis communi aliorum ſententia, & à contextu ipſo: licèt quibuſdam præterea placeant Hebræis. Certum eſt quoque præpoſitionem על *hhal*, ὑπὲρ, ſignificare, *pro*, ſive *propter*: ut, *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno d*: על זאת *hhal zoth*, ὑπὲρ ταύτης: *Propter veritatem, & manſuetudinem e* על דבר *hhal devar*.

c Pſ. 31. 6. d Pſ. 44. 5.

Chryſoſtomus recitat alias lectiones: Ἐπάνω αὐτῆς *Super eam*. Ἐπὶ ταύτῃ. *In hac*, vel, *Pro hac*. Concedo, regreſsum, ac reverſionem Dei in altum, ſeu in locum ſuum, ut ipſemet apud Oſeam *f*, loquitur, poſſe ſignificare quòd nolit exaudire; ſicut è contrario dicitur *prope eſſe omnibus invocantibus eum g*. At propter Synagogam populorum in altum regredi, idem eſſe, quod contra illam, repugnat communi ſententiæ.

Aliæ lectiones ex Chryſoſtomo. Regreſſus Dei in altum vel locum ſuum, pro nolle exaudire. e cap. 5. 15. f Pſ. 144. 18. g Pſ. 43. 10.

Regredere.] Deus egredi dicitur, quum potentiam exerit ulciſcendo *h*, ut ſolet domi ſedens, ſi laceſſatur injuria, exire ut vindicet ſe *i*. *Ecce Dominus egredietur de loco ſuo*, ait Iſaias, *ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum*. Addit Micheas *k*. *Et deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ*. Atqui hoc loco regreſsus fieri poſtulatur in altum, ut nempe qui egreſſus eſt ex ſua veluti nativa miſericordia, ut in Iſaiam, & Michæam notat Hieronymus, ad puniendum, quod ad homines deſcendendo fit, judicis more ſcandat tribunal. Tandem regreſſus denotat jam antea Deum declaraſſe juſtitiam, atque potentiam ſuam in puniendis impiis.

h Pſ. 67. 8. i cap. 27. 21. k cap. 1. 3.

Verſ. 9. Dominus judicat populos. Judica me Domine ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.

NEqueo dubitare quin me Deus juſta poſcentem exaudiat: nam judex eſt non in has una dumtaxat cauſa, vel provincia, regnoque; ſed planè hominum omnium, & nunc, ne inſoleſcant in innocentes improbi, & poſtea, in anaſtaſi generali, ut cuivis pro meritis attribuat ſupplicia, & præmia. Ergo, ò judex Deus, me in præſenti negotio judica, &, ut probè noſti, meam declara, qua erga meos me adverſarios geſſi, juſtitiam: fac omnes perſpectam habeant innocentiam meam, utque nullo eos damno, aut incommodo affecerim. Et

hic quoque ſecundùm ſenſum myſticum de generali judicio ſermo dicitur eſſe.

Myſticus ſenſus de generali judicio.

Dominus judicat.]Editiones ceteræ habent in futuro (*judicabat*) ידין *iadin*, κρινεῖ: & forſan Latinus interpres legit κρίνει in præſenti: recitat autem Chryſoſtomus aliud verbum ſynonymum δικάσει. Doctores in utroque tempore declarant, etiamſi præſens retineatur: ſæpe etiam vidimus unum poni pro alio. Caſſiodorus legit in imperativo, *Domine judica*. Comprehendit judicium multa: hoc loco punitionem quoque videtur includere.

Judicium hoc loco punitionem includit.

Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam, &c.]Eam intelligit ad litteram juſtitiam, & innocentiam, quæ pertinet ad id, de quo agitur, hoc eſt, ad crimen rebellionis contra Saul, neciſve illius, aut ad iniquam regni adminiſtrationem: quum alioqui præ ſe tulerit non raró ſe iniquum, & injuſtum *a*, ac petierit ne quando intraret Deus in judicium cum ipſo *b*, ut admonent Chryſoſtomus, Theodoretus, Theodorus, Antiochenſis, Didymus, Euthymius, Burgenſis, Lyranus, Trevetus, Titelmanus, Cajetanus, Eugubinus, Janſenius, Oſorius: Favent Auguſtinus & alii Latini Patres. Hieronymus *c* idem indicat, B alia citans teſtimonia, in quibus eodem modo judicari ſe flagitat David *ſecundum juſtitiam ſuam* vel ut exaudiatur, vel ut retribuatur ei *d*: vel ut probetur, ac tentetur à Deo *e*: vel ut cuſtodiat eum Deus, quia ipſe ſit ſanctus *f*. Similem affert quoque de Jacob dicendi formam *g*: & addi poteſt Job *h*. Lege quæ dicta ſunt Pſalmo 4. & 5. Chryſoſtomi etiam digreſſionem hoc loco, non contingere calamitates ſemper propter peccata; & potiùs mirum debere eſſe; Juſtos ac Deo caros proſperè agere, quàm contrà. Quocirca quod in Commentario, is qui Hieronymus dicitur, & poſt eum Dionyſius, Bruno, Valentia, ſolum Chriſtum hoc pronuntiare perfectè poſſe affirmant, eſt quidem verum, ſed myſtico ſenſu.

Litteralis ſenſus. *a Pſ. 31.5. Pſ. 50.5. & ſeq. b Pſ. 142.2. c Epiſt. 135. d Pſ. 16.1. Pſ. 17.25. e Pſ. 25.2. f Pſ. 85.2. g Gen. 30.33 h cap. 27. & alibi.* *Chryſoſtomi digreſſio hoc loco.* *Quis ſolus hæc perfectè pronuntiare poſſit.* *Secundùm juſtitiam,* &c.

Judica me.]Regii, & Complutenſes codices Græci, Κρῖνόν μοι, *Judica mihi*, hoc eſt, pro me.

Juſtitiam meam.]Hieronymus *i*, rejicit lectionem quæ habet (*tuam*) quoniam, inquit, in Hebræo eſt צדקי *tedki*, & non צדקתך *tſidkathecha*. Facit & Didymus de eadem lectione mentionem. Baſilius agnoſcit potiùs in C his verbis modeſtiam David, quia loquatur non de Dei juſtitia, vel Angelorum, ſed de humana, hominique poſſibili juxta fragilem conditionem ejus. Omnem virtutem, & donum gratiæ, quod quid habet, dicere ſuum poteſt, quamvis prout à Deo eſt, potiùs Dei ſit: ſic *panem noſtrum* vocamus *k*, quem petimus à Deo, ut annotat Gregorius *l*.

i Epiſt. 135. Lectio ab Hieronymo rejecta Baſilius hic modeſtiam Davidis ut agnoſcit. Panem noſtrum, ut dicere poſſumus. k Mat. 6.11. l 24. Moral. c. 5. vel 7.

Innocentiam meam.] Ἀκακίαν, ſecundùm vim Latinæ vocis, veram innocentiam dicit Auguſtinus eſſe, quæ nec inimico nocet. Symmachus vertit ἁπλότητα *ſimplicitatem*, quo item pacto Hieronymus. Eam interpretatur Baſilius inexperientiam eorum, quæ utilia ſunt cognitu, juxta illud: *Innocens credit omni verbo* ἄκακος. Hebraicè פתי *pethi*, *Chald.* שנרא *ſchaura*, inſipiens, Davidem ſe excuſare, ac veniam orare, quia ſoleamus in multa delabi incommoda ob inconſiderantiam & inexperientiam. Refellit hoc Didymus; docens, innocentiam, & ἀκακίαν hìc accipi eo modo, quo millibus aliis locis *m*: *In innocentia mea ingreſſus ſum: Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti n*: Adde: *Pavit eos in innocentia cordis ſui* D *o*: *Perambulabam in innocentia cordis mei p. Deus non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia q. Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem r.* His in locis ſunt eadem vocabula Hebræum & Græcum, quæ in iſto ἀκακία & תם *tham*. Præterea in illis verbis Dei ad Sathan de Job *ſ*: *Adhuc retinens innocentiam?* & Job de ſeipſo, *Non recedam ab innocentia mea t*. Quamvis per ironiam uxor ei exprobrans, dixerit: *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua u?* בתמתך *bethummathecha*: quod tamen Græcè aliter habetur; μέχρι τίνος καρτερήσεις; *uſquequò tolerabis?*

Ἀκακίας vocis ſignificatio. m Pſ. 14.2. Ἄκακος. Innocentiæ & ἀκακίας acceptiones n Pſ. 25.1.11 o Pſ. 40. 13. p Pſ. 77. 72. q Pſ. 100.2 r Pſ. 83.12. ſ Pſ. 36.37. t Job 2.3. u cap. 27.5. cap. 2.9.

Nec ſatis quoque hic aptè cum juſtitiæ virtute jungeretur innocentia pro inconſiderantia, ignorantia, imperitia, inexperientia.

Igitur innocentia, & ſimplicitas denotant rectam intentionem juſtitiæ, mentem integram ac perfectam in iis quæ agebat, & ab hoſtibus accipiebatur in deteriorem partem, ut non ſolùm abſtinuerit ab iniquis factis, quod juſtitia magis indicat, ſed etiam à pravis cogitationibus & voluntate, quod innocentia peculiariter innuit. Dixit olim Sauli David *x*, poſtquam quem in ſua poteſtate habuerat occidere noluit: *Animadverte, & vide,* A *quoniam non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem inſidiaris animæ meæ, ut auferas eam. Judicet Dominus inter te, & me: Ulciſcatur me Dominus ex te: manus autem mea non ſit in te.*

x 1. Reg. 24. 10. 11.

Super me.]Hieronymus *quæ eſt in me*, nec non Symmachus ἐπ' ἐμοί. Refert Eugubinus ad verbum, *judica*, ut judicet Deus ſuper, aut propter eum, ſeu ut ferat ſententiam de ipſo. Auguſtinus, Ruffinus, Remigius, Haymo, Thomas, Bruno, Ludolphus, ajunt indicari, munus juſtitiæ ac innocentiæ eſſe deſuper, & à Deo. Idem eſt, *ſuper me*, & *in me*: quamvis quum dixerit, *juſtitiam meam, & innocentiam meam*, non fuerit neceſſe id addere: Fortaſſis per retinentiam intelligit: ſic veniat: ſic veniat ſuper me ſicut merui, digna reddatur innocentiæ meę merces: ſi quid etiam mali commerui, non recuſo id pati, ſed opto mihi contingere, ſic vulgo: *ſia queſto ſopra di me.*

Verſ. 10.] Conſumetur nequitia peccatorum & diriges juſtum, ſcrutans corda & renes Deus.

EX divino judicio de ſeipſo, propter juſtitiam, æquitatemque cauſæ, de qua agitur, firmam ſpem concipiens, orat imponi à Deo finem graſſanti impietati: ut poſſit rectum tenere probitas innocentis, ab injuſtis vexati, curſum, & rerum ſuam felicem conſequi ſucceſſum. Non verendum, ut fallatur Deus judicando, cui exploratiſſimæ omnium cogitationes, affectioneſque, Achitophelis prædici Theodoretus interitum docet: Lyranus, Burgenſis, Cajetanus, Saulis, Baſilius vult orari pro perſecutoribus, ut ceſſent, & reſipiſcant, nec inficiant alios ultrà contagio: Chryſoſtomus, ut ſupplicio improbi cogantur à vitio reſilire: Auguſtinus, Hieronymus, Caſſiodorus, Haymo, Remigius, Ruffinus, Bruno, & alii, ut Judæi peccata ſua compleant, Chriſtum interficiendo: Dionyſius, & Valentia, ut pro tanta iniquitate puniantur: B. Thomas & Ludolphus exponunt quamtumlibet excreſcat nequitia, & ad culmen perveniat, juſtis tamen non ob futuram, ſed pro futuram. Planior primus ſenſus, cum quo litteraliter concordant quæ tradunt alii, quamvis myſticè interpretentur. In eo conſentiunt omnes recentiores. Recepto myſtico ſenſu de Chriſto, benè illi congruit verbum illud ejuſdem in Cruce *y*: *Conſummatum eſt*, quod poteſt demonſtrari exaggerando hujus gravitatem peccati, utpote Deicidii.

Theodoreti expoſitio Lyrani & aliorum. *y Jo. 19. 30.*

Conſumetur nequitia peccatorum.] Hieronymus in Commentario, Auguſtinus, aliique veteres Latini, & Pſalterium Romanum, *Conſummetur*. Symmachus, Ἀπαρτισθήτω κάκωσις τῶν ἀσεβῶν, *Compleatur vexatio impiorum*, videlicet qua vexant alios, vel κατὰ τῶν ἀσεβῶν, *contra impios*: aut ut ea ipſi vexentur. Eam lectionem in ſecundo iſto ſenſu Chryſoſtomus videtur approbare. Hieronymus: *Conſummetur nunc malum impiorum*, ex Hebræo poſſet verti: *Conſummet malum impios* נא רע יגמר *iigmor narahh*: vel *deficiat nunc*, vel *quæſo, malum*, aut *malitia*: vel *conſummat*; ſive *conſummet* (futurum pro imperativo,) malum, aut malitia, quam faciunt, impios aut malum pœnæ conſumere ſolet. Editio LXX. habet Συντελεσθήτω δὴ πονηρία ἁμαρτωλῶν. *Finiatur ria*, ſeu *ergo*, *malitia peccatorum*, Latinum verbum *Conſummetur*, eſt futuri temporis, ſicut & Hebræum, de quo diximus: Πονηρία, quemadmodum & *malitia* poteſt ſignificare *vexationem*, & *laborem*: ut *ſufficit diei malitia z*: diciturque à πόνοι labor, πονηρία. In Pſalterio Ambroſiano inſeritur, *verò*, *Conſummetur verò*.

z Matt. 6.34

Conſummari nequitiam, vel *malitiam* ſignificat aliquando decernere in alium pœnam: ut *ſcito*, inquit David *a* ad Jonatham, *quia completa eſt malitia ejus*, nempe patris tui Saul, ideſt, *Conſtituit mihi malum*: Συντετέλεσται ἡ κακία. Unusquoque de ſervis Nabal dixit uxori ejus Abigail: *Completa b eſt malitia adverſus virum tuum*, hoc eſt, Decretum ei malum: Nihilominus apud Iſaiam *c* legimus in bono ſenſu *completam malitiam*. Agellius immeritò arguit verſionem noſtram.

Conſummari nequitiam vel malitiam quid ſignificat. a 1. Reg. 20.7 b cap. 25.17. c cap. 40.2.

Et diriges juſtum:]Hieron. *Confirmetur juſtus*, תכונן *thechonen*. Architectorum verbum eſt, quo ſignificant omnem ponendæ & ſtatuendæ columnæ rationem κατευθύνειν, & dirigere, atque etiam illud ipſum verbum proſperitatē importat, & rectum in negotiis curſum, atque conſtantiam uſque ad metam, finemq; præſtitutum. Sic

in Proverbiis *a*: *Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ*: & *b Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur*: in Oſea *c*: *In fortitudine ſua directus eſt* (Jacob) *cum Angelo*: In Hiſtoria Machabæorum *d*: *Directa eſt ſalus in manu ejus* (Judæ) quod alio verbo Græco dicitur εὐοδώσῃ. Aquila, Symmachus, Theodotio pro κατευθυνεῖς δίκαιον, habent κατευθυνεῖ δίκαιος: *Proſperè agit Juſtus*: itaque legit Origenes *e* in explanatione. Alius apud Chriſoſtomum, Ἑδράσεις δίκαιον, *ſtabilies Juſtū*: In Pſalterio Vaticano, & Ambroſiano per Imperativum *& dirige*.

a cap. 16.3. b cap. 28.13. c cap. 12.3. Gen. 32.36. d l. 1. c. 3. 36. *e in Catena.*

Quamvis autem qui juſtus eſt, idem ſit rectus, orat tamen Propheta, ut dirigat juſtum Deus, ait Baſilius, ut rectum ejus mentis propoſitum per directionem & manuductum ejus regatur, ne prę fragilitate quandoque, veluti à canone veritatis nutando declinet, neque à veritatis inimico perverſis lædatur dogmatis. Chryſoſtomus, & Heſychius interpretantur, conſumpta, ideſt, caſtigata nequitia peccatorum fieri Juſtos attentiores, qui nonnihil eorum turbabantur, ac veluti offendebantur proſperitate *f*: Euthymius: Quia ſublato impedimento, quod erat ab impiis, in recta virtutis via Juſtus B ambulabit. Unde illud *g*: *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati*, &c.

Chryſoſtomi & Heſychii interpretatio. f Pſ. 72. 2. Jer. 12.1. Job 21. 7. Euthymii & aliorum. g Luc. 1.74.

Caſſiodorus & Bruno: Quoniam completa crucifixionis nequitia, directus eſt Chriſtus reſurgendo, & aſcendendo in cœlum, & mundum ſubjugando. Auguſtinus, & alii: Quia dum creſcit peccatoris nequitia, creſcit & Juſti probitas. Vera omnia, ſed litteralis ſenſus de felici progreſſu Juſti in rebus agendis, non excluſo tamen virtutis profectu, ac felicitate tandem æterna. *Simplicitas juſtorum diriget eos h.*

Litteralis ſenſus. h Pr. 11.3.

Scrutans corda, & renes Deus.] Pendent negotia cuncta noſtra, virtus etiam vitiumque ab animi penetralibus idoneus Judex Deus, cui confitetur omnis cogitatio *i*: neque eget probationibus, demonſtrationibus, ſcripiis, inſtrumentis, aut alio ejuſmodi, inquit Chryſoſtomus. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus, reſpondet ipſe, ſcrutans cor, & probans renes! qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuorum k.* Similis aliis in locis ſententia *l*. Ex qua valde probabilior efficitur, naturaliter, cuivis, etiam C Angelo, incognitas eſſe internas cogitationes, & voluntates noſtras, non tantum quod ſua Deus providentia hujuſmodi cognitionem impediat, ut Scotiſtæ ſentiunt, quibuſcum aliàs accuratius egimus *m*. Cyrillus *n* Alexandrinus de noſtro loquens loco, ſcribit, nulli alii, ſed divinæ ſolummodo naturæ corda hominum patere, attribuere Prophetam *o*: præterea Nathanaelem collegiſſe Chriſtum Deum, ob talem arcanorum notitiam *p*; quod ſciret ex hoc Pſalmo eam propriam Dei. Idem Caſſiodorus, & ceteri ponere videntur. Auguſtinus *q* infert cogitationum etiam peccata nonnulla eſſe poſſe: Caſſiodorus & Baſilius nullum alium temerè judicandum. *Nam tu qui es qui judicas alienum ſervum? r* Qui ſoli ſcilicet domino ſuo perſpectus eſt: nec noſmet nobis manifeſti ſatis ſumus: *delicta enim quis intelligit? ſ* Hieron. *t* grandem amentiam eſſe, fictè at ſimulatè agere ante Deum ſcribit.

i Pſ. 75.11. k Jer. 17. 9. 19. l apud eumdem c. 11. 20. c. 20. 12. 1. Reg. 16.7. Ap. 2. 22. Act. 1. 24. 1. Par. 28. 9. 1. Cor. 4.5. Scotiſtarum ſententia. m in Diſp. de Angelis. n 2. in Joan. cap. 35. o cap. 19. Nathanael unde collegerit Chriſtum eſſe Deum. p Joan. 1. 49. q de Sal. documen. c. 84. r Rom. 14. ſ Pſ. 18. 13. t in c. 9. Job.

Oculatior Deus ficto Argo, & occultis ſymbolicis animalibus. Narrat Petrus Damianus *u* cuidam, qui ſurripuerat ſuem, ſed alioqui humanus erat in hoſpites, ap- D paruiſſe Jeſum in pauperis habitu, prolixo jam crine deformem: & quum hunc ille humiliter aſſurgens attonderet in occipitio, ſub crinibus oculos deprehendiſſe: quum reſponderet trepido ſe Jeſum vocari, qui cuncta contemplans, his oculis vidiſſet furtum ſuis. Simile admodum narratur exemplum in Vita S. Luteardis *x*.

Petrus Damian. quid narret de quodam qui ſuem ſurripuerat. u l. b. 5. ep. in 19. x lib. 2. apud Surium Tom. 1. pag. 669.

Scrutans.)Ἐτάζων. Baſilius ait eſſe verbum forenſe: quando torturis, & argumentis ſit inquiſitio Hieronymus expoſuit probans, quod valet בוחן *bochen*. Scrutatio denotat exactam ſcientiam, quam ſolet acquirere quis poſt diligentem inquiſitionem, ut notat Chryſoſtomus, qua Deus non eget inquiſitione, quum ei perinde nota ſint omnia, ac ſi per quæſtiones atque tormenta inveſtigaſſet.

Verbi ἐτάζων expoſitio. Vox ſcrutatis quid denotet. y Aug. hoc loco, Ruffinus, Remigius &c. Greg. quoque 11. Moral. cap. 9.

Corda, & renes.]Cogitationes mentis, & affectiones appetitus paſſim exponunt *y*, præſertim appetitus concupiſcibilis, quia in renibus ſedes eſt voluptatis. Euthymius per *corda*, ſumit iræ ac indignationis germina; per *renes* radices concupiſcentiæ. Chryſoſtomus & Caſſiodorus animi arcana per utrumque ob profundam re- A num poſituram. Remigius per primum intentiones: per ſecundum, fines earum. Cajetanus voluntatem, & intima affectionum penetralia. Synonyma videri poſſunt, & ſecretas tum animi tum voluntatis actiones deſignare: materialiores enim haud ſunt obſcuræ Angelis. Theodoretus *renum* λογισμοὺς ait ſignificari tropicè, quia pudendos appetitus excitant, unde concupiſcentiæ cogitationes moventur. Hebræum כליות *Chelaijoth* omnia præcordia ſignificat. Renes ita etiam ſpiritualiter accipi non pro ſede libidinis, oſtendit Ribera *z* noſter, ex aliis locis *a*, & ad exaggerationem conjungi cum cordibus, ut eadem res magis exprimatur. Diximus & nos eadem de re in Commentario libri Sapientiæ *b*. Certè in Pſalm. XV. *c*, qui de Chriſto citatur à Petro *d*, & Paulo *e*. *Inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Chriſtus dicit, quòd interiores animi cogitationes & affectus ſemper illi ſuggerebant res laudabiles & ſanctas. Anima noſtra ubique in corpore tota eſt ſecundum ſubſtantiam, licèt non ubique apta omnibus operationibus habeat inſtrumenta. Hoc forſan dumtaxat voluit Hippocrates. B in *ſiniſtro cordis ſinu* collocans intellectum (auctor vitæ ipſius Soranus ait collocaſſe in *capite*, quòd idcirco velatum pilatumque ſemper geſtaret, ad puniendam principem animæ ſedem.) Herophilus totam animam in *cerebri ventriculo*: Democritus in *toto capite*: Eraſiſtratus in *pericranio*, ſive cerebri membrana: Strabo in *intermedio ſuperciliorum*: Parmenides & Epicurus in *pectore*: Stoici in *toto corde*, vel Spiritu cordis: Empedocles in *ſanguine*: Diogenes in *arteriis*: alii in *cordis collo*, aut pericardio: quidam in *ſepto tranſverſo*. Idem judicium fieri poteſt de illis, qui partes veluti animæ aſſignabant corporis partibus: ut Pythagoras vitalem cordi, rationalē capiti: Plato iſtā capiti, jecori concupiſcentem, iraſcentem cordi. Hęc in Phyſicis noſtris diligentiùs retulimus, ac refellimus.

Per corda, per renes, quid intelligit Euthymius & alii Synonymæ voces. *Riberæ interpretatio. z Apoc. 2. num. 32. a Pr. 23.16. Sap. 1.6. Pſ. 15.7. b cap. 1.6. c verſ. 7. d Act. 2.25. e Infr. c. 13. 35. Hippocrates intellectum ubi collocet. Ubi animā ponunt nonnulli Philoſophi. f lib. 2. de Anima in 1. c. 7. g de Humana mente c 7 h lib. de Anima imm. & apud Scaligerum exerc. 307. c. 29 i in Alcinoo c. 17.*

Vix poſſunt excuſari, qui magis exactè philoſophantes, unam tamen animæ tribuunt in corpore partem, in qua reſideat ſubſtantia. Albertus *f* Magnus, & ætate noſtra Simon *g* Porcius, atque Cardanus *h*. Lege Jacobum *i* Carpentarium, Theodoretum *k*, Lactantium *l*, Tertullianum *m*, qui videtur tranſcripſiſſe Plutarchum C *n*. Hunc *o*, & Hieronymum *p*, & ſi qui alii Patres, quos Palmelius *q*, citat, conſtituunt hegemonicon, ac principem ſedem animæ in corde propter pręſentem & ſimiles locos ſcripturæ, & Chriſti auctoritatem, dicentis *r*, exire de corde cogitationes, intelligere oportet de organis ad intelligendum neceſſariis: quæ an præſtantiora ſint in capite, ſeu in cerebro, an in corde, ſcripturæ Chriſtuſque, non curant. Ita ut non contradicere Platoni Chriſtus cenſeri non debeat, quod præ ſe fert Hieronymus *ſ*, quum ille *cerebrum*, Chriſtus *cor* nominat. Lactantius in dubio relinquit, utri parti primatus adjudicandus ſit. Nyſſenus *t*, opinantibus *cor* ſedem eſſe animæ, objicit præſentem locum, ubi cum corde renes conjunguntur: atque hinc probat nulla certa in parte eſſe, ſed ubique in omnibus.

Improbata nimis exactè philoſophantium quorundam ſententia. k de Græc. affect. l de Opificio Dei, c. 6. m lib. de Anima c. 15. n 4. de Plac. cap. 4. o ibid. & de Reſurr. carn. c. 15. p in cap. 14. Matthæi, & ep. 128. q in Tertul. lib. de Anima n. 185. r Matt. 15. 18. Chriſti contradictio Platonis ſententiæ. ſ ep. 128. Lactantius in dubio, cerebrone an cordi primatus adjudicandus. t De Opificio hominis, c. 12 Cor ſedes animæ nonnullis.

Corda & renes.]Magna harum conſenſio partium: quia, ut Anatomici *u* tradunt, ſubſtantia conſtant renes, carnea, denſa, admodum ſolida, dura, parumque à cordis ſubſtantia variante.

u Verſalius l. 5. c. 10.

Verſ. 11.] Juſtum adjutorium meum à Domino, qui ſalvos facit rectos corde.

ABeo, qui ſcrutator eſt cordium, renumque, & recto ac ſimplici præditos corde ſalvos facit; ego talem eſſe me confidens, qui nempe nec alium injuria provocaverim, nec ulciſci me deſiderem, juſtè meritòque auxilium expecto. Juxta Hieronymi verſionem, & quorumdam editionis noſtræ Codicum lectionem, & Hebræum, atque Chaldæum textum, & Pſalterium Ambroſianum, cum prioris verſus fine jungitur nomen, *juſtus*, *ſcrutans corda & renes Deus juſtus*, vel, *juſtè*, quod & Græcè eſt δικαίως in Complutenſibus, & Regiis Bibliis in emendatis δίκαια ἡ βοήθειά μου. *Juſtum adjutorium meum*. Recitat Chryſoſtomus aliam lectionem prioris & hujus verſus: Ὁ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφρῶν ὁ Θεὸς δίκαιος, ὁ ὑπερασπιστής μου. *Examinator cordium, & renum Deus juſtus, & protector meus.* Item, quæ ſolùm contineat, Ὁ Θεὸς δίκαιος. *Deus juſtus*. Euthymius jubet nos adverbium *juſtè* nectere

Ad prioris verſus fine quid jungit Hieronymi verſio & alii codices. Variæ lectiones hujus & prioris verſus. *Euthymii*